

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Cothmann Paul Baumann

**Dissertatio Philologico-Theologica Continens Explicationem Et Vindicationem Aphorismi Primi Psalmi CX.**

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737814659>

Druck Freier  Zugang



Vat.: P. Baumann

Joh. Cothmann/a  
R. u. Thol. 1642.



DISSE<sup>5.</sup>  
TATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA

*Continens*

**EXPLICATIONEM  
ET VINDICATIONEM APHO-  
RISMI PRIMI PSALMI CX.**

*Quam*

*In celeberrima Academia Rostochiensi*

**Deo Ter Opt. Max. Poten-**  
**ter Adjuvante,**  
**Sub Præsidio**

*Plurimum Reverendi Cl. & Excellentissimi Viri*

**DN. JOHANNIS COTHMANNI,**  
S.S. THEOL. DOCTORIS ET PROFESSORIS

celeberrimi: Fautoris, ac Præceptoris sui omni  
observantia pl. colendi:

*Publico Examini subjicit*

**M. PAULUS BAUMANN,**

LUBECENSIS. AUTH. ET RESP.

*Ad diem 10. Septemb. in Auditorio Majori.*

**ROSTOCHII,**

*Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.*

*ANNO M. DC. XLII.*

13





כָּל־זְהֹרֶת :

Um multa extant in antiquissimo Ebraeorum codice de futuri runc quidem Messiae, jam vero exhibiti Salvatoris & Protectoris nostre unici JESU CHRISTI infinita gloria & maiestate, per evocationem ad DEI Patris dexteram ipsi plenissimè collatam, testimoniae nullum tamen tantum perspicuitatis & evidentiæ reperitur ubilibi, quam quod ab Ebraorū Principe Psalmo CX. consignatum vaticinium est. Etenim quam primū D E U S Opt. Max. ipse primis nostris parentibus in Paradiso Evangelicam promissionem dedit, & Abrabamo postmodum, ejusq[ue] posteris, cum ipse, tum per Prophetas repetit, queq[ue] velut fundatum & basis V. T. Ecclesiam sustentavit, ejus hic Psalmus dulcissima est exegesis. Cumq[ue] in nulla ferere magis, quam in hac promissione declaranda & explicanda veterum Prophetarum labor occupatus unicē fuerit, eandem hic tam luculenter, tam concisā & facundā brevitate, tanto orationis splendore evolvit & complectitur, ut cum jure merito cum Megalandro nostro B. Luthero (Tom. 7 p. 305.) Psalmum primarium & Cardinalem, & omnium V. T. de CHRISTO vaticiniorum summam caputq[ue] appellare possimus; & cum Doctissimo Noribergensi Theologo Dr. Schrödero (Thron. Reg. par. I.c. 7.) articuli Christianæ fidei nostra, de Christi imprimis exaltatione, fontem, ex quo limpidissimi rivuli in N. T. fluant. Undecies enim ibi, aliquot Psalmi hujus loci, ad summa fidei capita statuminanda, allegati & repetiti a CHRISTO ejusq[ue] Apostolis reperiuntur. Quod cum de nullo alio V. T. vaticinio probari facile posse, Canonicam

A. 2.

ejus

ejus autoritatem adauget maxime, & lectionem illius nobis, sedulamq; meditationem serio commendat. Hujus celeberrimi & augustissimi Hyrcani Davidici Aphorismum primū, qui propria sublimis articuli de majestica Redemptoris nostri ad dexteram Patris sessione in V. T. sedes est, sub placide disputationis incudem impræsentiarū revocare animus est.

Adesto igitur ô Deā ḡōwπε JESU CHRISTE, Rex & Pontifex noster unice, nobis de tua gloria & majestate dicturis Spiritus S. gratiā, ut Te in dextera Majestatis divinæ sedentem ita agnoscamus, ut olim in Te, quando inde ad judicium venturus es, summam salutis nostræ adipiscamur!

Nunc, antequam ad rem ipsam nos accingamus, ordinis gratiā totum hunc discursum in quatuor sectiones dispescemus:

Prima exponet Analysis Logico-Philologicam, unā cum sensu literalis inquisitione.

Secunda continebit Aphorismi hujus ab adversariorum depravationibus vindicationem.

Tertia exhibebit controversias, nobis cum variis adversariis circa articulum de Sessione ad dexteram intercedentes.

Quarta usus Practici delineationem subjunget & agmen claudet.

Hæc via esto quam insistemus: Ante omnia verò, attendentes monitum B. Hilarii, qui lib. 5. de Trin. p. 4. à verbis ad sensum accendendum esse monet; Textum Aphorismi nostri, cum versionibus aliis, primū exhibemus. Is in Originali scriptura talis est:

נִאֵם יְהוָה לְאַרְנוּ שֶׁב לְרֹמֵינִי עַד—אֲשֶׁר אַיְכֵךְ בְּרַת  
לְבָגְלִיקָה:

LXX.

Εἰπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μοι, καθέται σκόνες δεξιῶν μοι, ἔως ἂν  
ἔσται ἐκθρόνος σας ὑπαπόδιον τῶν ποδῶν σας.

Vulgat.

Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec  
ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

In his & reliquis interpretum translationibus Vatabli nempe  
Arie

Arie Montani, Pagnini, Junij & Tremellij, Piscatoris &c. nulla occurrit difficultas aut dissensio, sed omnes cum textu Authentico & Megalandri nostri Lutheri versione Germanica concordant: quare illashic recensere supersedemus, & rem potius ipsam aggredimur.

Esto igitur cum Deo.

## SECTIO I.

Exhibens *Analysin Logico-Philologicam*, ex qua verus sensus literatis patescat.

§. 1. Verba Aphorismi nostri quomodo secunda sint, facile patet; Due se offerunt ejus partes: I. *Jehovæ decretum de Domini ad dexteram sessione.* II. *Sessionis hujus effectum vel consequens*, quod est, hostium subjugatio & conculatio. Circa priorem partem, quatuor iterum attendenda sunt: 1. *Ipsum decretum seu dicendi actus.* 2. *Quis.* 3. *Cui,* & 4. *Quid dixerit.* Altera tria continent consideranda: 1. *Subjugationis hostium authorem.* 2. *Hostium quidditatem.* 3. *Subjugationes qualitatem.*

§. 2. Hæc de *Analysi Logica*: Progredimur ad *Grammaticam*: quæ, quamvis sordere nonnullis soleat, tamen omnia poene secula exemplo esse possunt, vocularum contemptum & ignorationem Ecclesiæ damnum dedisse; quare per Metaphrasin, seu sequnctam vocationem *Grammaticam & Philologicam* in verum Aphorismi nostri Prophetici sensum hoc modo inquiremus.

§. 3. ☩] Frequenter hæc in Prophetarum oraculis conspiciua vox est: de qua, cum diversum sentiant Philologi, Cl. Buxtorfo & Riveto nos subscriptibimus, qui eam *nomen participale constructum esse* censem; à Radice nota ☩ quam Chald. per ☩, LXX. per εἰπεν, Vulg. & alii per *Dixit* exprimunt: nec male, cum idem Sp. S. in N. T. quoties locus hic repetitur, faciat. Statuunt quidem nonnulli interpp & *Lexicographi* vocem Ebræam ☩ non simpliciter notare dixit, sive dictum; sed potius cum additamento per *Dictum certum, indubiatum, sermonem fide dignum, τιστέντος θεόν* (quam emphaticam Pauli formulam huic respondere volunt) vertendam esse: id ġz quod non nisi de Deo, & divinis oraculis, Prophetis revelatis usurperur. Quod etiā quidem negandum omnino non est, tamen hoc non obstante, significationem τοῦ ☩ per τὸ εἰπεν, vel *Dictum*

absq; expressa mentione certitudinū, fidelitatis &c. sufficienter exprimi posse putamus; *tum*, quod quæ à DEO, mentiri & fallere nescio dicuntur aut dicta sunt, certitudinem ejusmodi præsupponant aut includant: *tum*, quod non perpetuò de Deo aut immediate divinis oraculis vox **DNJ** usurpetur, sed & quandoq; de falsis Prophetis, eorumq; commentis *Num.* 24, 4. *Jer.* 23, 31. cum contrà **רְבָר/אַמְרָ** & similia vocabula, quæ in genere dicere seu dictum, sive certum sive dubium, significant, de Deo & veris Prophetarum vaticiniis reperiantur. *Loca adscribere opus non est.*

S. 4. Cæterum cum *rō* dicere seu sermo & loquela Deo variis modis in scriptura tribuatur, inquirendum omnino est, quam propriè significationem h. l. admittat, qualisq; actus per divinum hoc **DNJ** designetur: De quo inter interpp. non convenit. *Michael Aygianus comment. in h. Ps. rō* dixit interpretatur per generavit: sic enim ille *par. 2, comm. p. 507.* Sed quomodo Pater dixit Filio? non vocali sono vox, sed potius re, ipsum Verbū eternaliter generando, &c. Et mox quomodo autem dicere Dei ad intra fiat idem quod filium generare, sciendum est, &c. Id v. ibid prolixè à sermone humano externo & interno, ut & ex Arist. 1, 1. *τοῦ ἐγγένεας* demonstrare & illustrare instituit, quod non est hujus loci. *Job. Maldonatus Jesuita in comment. h. Ps. p. 759.* explicationem hanc partim approbat, partim aliam assert. Ita enim ille d. l. ait: *poteſt quidem bene iſtud dixit significare generavit, ut Ps. 2. & Prov. 8.* Sed dicimus cum D. Paulo, qui *Rom. 1, 4.* interpretatur iſtud (dixit ad me) per prædestinavit, cum dicit, *eum fuſſe prædeſtinatum, ut fuſcitatetur ex mortuū,* &c.

S. 5. Sed plura sunt quæ obstant, quo minus interpretationes has probare possimus. Et Primo negamus, post illam, quā *rō* dicere per generare explicatur, locum habere, ob differentiam maximam, quæ est inter *rō* dicere eterna generationis, & inter dicere temporali CHRISTI ad dexteram DEI collocationis: Nam 1. illud, uti & spirare, procedere &c. est opus tantum ad intra: *Hoc vero quodammodo ad extra, quia reficit humanam naturam extrinsecus assumendam, unieritatem, & tandem ad dexteram infinitam exaltandam.* 2. illud notat ipsius secundæ Trin. Personæ productio-ne: *Hoc vero ejusdem personæ productæ in assumpta carne exaltationem.* 3. illud ab eterno factum est adeoq; in eternitatis in-divisi-

divisibili statu complementum habet, & omnem temporis mensuram excludit: Hor, et si rat. decreti æternum quidem est, tamen rat. executionis & complementum tempore, ascensionis ep. effectu suum habuit. uti D. D. Dorsch. dissert. 13 de capit. Christi Relig. Hoc ipsum pluribus evincit. Deinde & alteram illam Maldonati interpretationem, quæ per prædestinationem exponit, tanquam alienam ab hoc loco, & absurdam planè rejecimus. Locus Pauli Rom. 1, 4. ex quo illam probare conatur, nihil probat minus: neq; enim Apostolus de prædestinatione, neq; de alio aliquo actu divino & aeterno ibi loquitur; sed postquam vers. 1. Evangelii, ad quod prædicandum segregatus erat, mentionem fecerat, ad ejus commendat: digreditur vers. tribus seqq. commendatq; illud, cum ab adjuncta promissione Prophetarum vers. 2. tum à subjecto occupante quod CHRISTUS: cuius personam hæc occasione in parenthesis quasi describit, primo quoad humanitatem, quando ait illum ἐν σωτηρίᾳ. Dauid recte origina ymquerit vers. 3. deinde quoad divinitatem, dum assentit illum ὁ Θεός είναι πιον θεός, εξ αὐτού τούτου γενέσθαι vers. 4. Ubi verbum ὁ Θεός είδει, quo Apostolus utitur, non per prædestinationem, ut Mald. vult, sed declarari, cognosci, demonstrari reddendum est. Probat hoc 1. ipsa ratione natura, quæ ut simplex est, ita & simplicem significationem obtinet. 2. confirmat id interpretatio Syriaca, quæ juxta Tremellii translationem, ut & annotationes ad eandem, hanc significationem retinet. 3. requirunt circumstantiae textus, & imprimū Apostoli argumentum, quod deservit à resurrectione CHRISTI: hæc vero nihil facit ad prædestinationem, multum autem ad declarationem. Κύριος enim εξ γενέσθαι est actus divinus immensa virtutis & potentiae, adeò ut, qui propriâ virtute ex mortuis resurrexit, illum non nūdum hominem, sed verum DÉUM esse oporteat: quemadmodum Apostolus cōdēm hoc argūmento ad eandem rem probandam utitur Act. 13, 32. 4. Habemus pro nobis præter Erasmum in notis ad b. l. ut & multos Ponifiorum commentatores ac Theologos Scholasticos, ipsos antiquissimos Pares Græcos & Latinos, Chrysostom. Octumen. Theophil. Hieron. Tertull. &c. quorum testimonia citant. D. Bald. comm. in b. l. & D. Dorsch. d. d. tb. 13. 5. Posito, dare nonnulla exemplaria, in quibus habeatur compositum περὶ σωτηρίας.

TG

¶, uti contendit, *Maldonatus*, & *Huntlaus* T. I. controv. p. 79. magno studio probare conatur: *particularia* tamen ea sunt, & corrupta, eoq; nomine ipsis *Pontif. interpretibus* suspecta: ideoq; editionibus vetustioribus, utrinq; approbatis & receptis (*ut sunt Veneta, Romana, Florentina, Parisiensis, Basiliens.* Ar. Montani G. quæ omnes constanter legunt *évr@*) nihil præjudicant.

§. 6. Quare missis *Maldonati* & aliorum explicationibus inconvenientibus, cum orthodoxis interpretibus statuimus, per divinum hocce **N** denotari 1. *Decretum ab æterno in S. S. Trinitatis concilio factū*, quo Deus Pater ab æterno post prævisum peccatum & lapsum generis humani sanxit & decrevit de Filio secunda Trin. persona, ut ille, assumptā humanā naturā, passionem & mortem in redemptionem generis humani sustineret, & post gloriosem resurrectionem & ascensionem ad dexteram suam exaltaretur. 2. *Decreti illius promulgationem in tempore factam*, tum immediate ab ipso Deo in ProtEvangelio Gen. 3, 15. tum mediatae per Prophetas in vaticiniis & promissionibus, illis imprimis, quæ de æterno Messiae regno loquuntur 2. Sam 7.12. seqq. Psal. 2,7.8.9. Psal. 72,8.9. Dan. 7,13.14. &c. 3. *Decreti illius executionem*, quæ itidem in tempore facta & completa est, quando scil. Deus, postquam gloriose Christum è mortuis eduxerat, ipsum ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem principatum &c. Eph. 1,20. collocavit. *Vid. B.D.Gerb. Harm. C.157. & D. Tarnoy. in b [l]*.

§. 7. **[¶]** Quis dixerit, nomine hoc gloriose & divinissimo indigitatur, DEUS nempe opt: maximus; id quod *Adversarii* etiam fatentur, nec ipsi *Judei* ullam eā de re litem intendunt. Cæterum de nominis hujus *pronunciatione, punctuatione, significatione*, & aliis quamplurimis, quamplurimæ sunt Theologorum & Philologorum disceptationes, quas hoc loco non attingimus, aut nostras facimus: legi eæ possunt apud B. D. Gerhard. in *Exeg. Tom. I. pag. 615. seqq. Dn. D. Nicol. Hunn. de Divin. nominib. D. Walther. Spicileg. de Divin. Nomin. par. I. controv. I. Drus. de Tetragram. Sixtin. Amam. Antibarb. Bibl. I. 2. Füller. I. 2. Miscell. sac. c. 6. & I. 4. c. 13. it. in Append. lib. 6. Buxtorf. in Lex, &c. Nos ex illis pro instituti nostri ratione pauca adducemus, sequenti positioni inclusa:*

§. 8. (I.)

§. 8. (1.) Nomen **תְּהִלָּה** est verbale, solum vero DEO proprium, nec  
alii rei creatae ac finite extra DELLM sufficiunt, communicabile; de-  
rivatum (ut DEUS ipse Ex 3, 14. ostendit) à R. **תְּהִלָּה** vel Chald. **תְּהִלָּה**  
secunda radicali **תְּ** in **תְּהִלָּה** cum sint litera **יְ** **הִ** **לִ** **לְ** **לֵ** **לֶ**, & pre-  
posita litera Hæmantica **וֹ**, nominis proprii formativa. (2.) Nomen  
hoc, vi derivationis DELLM ab essentia sua denominat, adeoq; de-  
notat ejus tum **אַוְתָּחִיאָה**, tum æternitatem, simplicitatem, veraci-  
tatem &c. Ad quæ attributa respexisse videtur Jobannes in Apoca-  
lypsi suâ nomen hoc tribus pleramq; vocibus circumloquens: **אַוְתָּחִיאָה**,  
**אֲוֹתָהּ** **וְאַזְכּוֹרֶת** (c. 1. 4. 8. c. 4. 8. c. 11. 17. c. 16. 5. conf.  
D. Glass. Phil. f. l. 3. p. 158 & l. 4. p. 631. (3.) Nomen hoc, et si tribus  
Trinitatis personis commune est: in b. l. tamen, ut & aliis, præsertim  
in quibus ad aliam personam sit relatio Personaliter sumitur pro  
DEO Patre Prima Trinitatis personâ; quemadmodum & Græcum  
**Θεὸς** in N. T. sub eadem acceptione sæpius occurrit. Quo ipso  
tamen Filius & Sp. S. ab exaltationis opere non planè excluduntur,  
sed, cum sit opus ad extra, sicq; individuum, suo modo ad illud con-  
currunt. Vid. Dn. Schröder. Par. 3. Throni Reg. Cap. ii. conf. Gisen.  
par. 2. Zwingl. Calvin. p. 84.

§. 9. [בְּרִנְ] Ab inusitate rad. verbali **תְּהִלָּה** cuius cognatum no-  
men sex punctorum **תְּהִלָּה** basis vel fulcrum significans, deducimus  
nomen hoc nudum Masc. generis & declinationis **תְּהִלָּה** quod genera-  
liter notat Dominum, qui est quasi basis & columnen familiarium, suâ  
curâ & administratione eam sustentans ne corrugat, aut detrimen-  
ti quid capiat; nec tantum de hominibus sed & DEO ipso usurpa-  
tur de quo infra. Habet b. l. affixum pronom. prima pers. jod. & pref.  
**הַ**, inseparabile, notam, casus dativi, adeoq; quis sit cui Jehovah  
dixerit, exprimit. Quis vero per hunc Adoni intelligendus sit va-  
riæ sunt traditiones. Rabbinorum quidam statuunt **Abrahamum**  
intelligi, cui vel Melchisedek, vel Eliezer libertus psalmum hunc,  
velut Epinicia, ob victoriam à 4. Regibus reportatam, Gen 14.  
composuit, & redeunti occinit. Alii de ipso Davide explicant, cu-  
jus Regiam & Propheticam dignitatem, aliquem ex religiosis Can-  
toribus descripsisse putant: Alii Ezechiam; Alii **Solomonem**; ali alios  
intelligunt: quos citant & prolixè refutant Argianus & Rivetus

comm. in h. l. Deinde & inter Christianos hac dñe non omnino  
convenit: Pontificiorum enim quidam, fatente Lorino explicant de  
Angelo custode Davidis: Alii de Spiritu S. sic Thomas dist. 3. q. 58.  
art. 2 citante Feurborn. Fas. 4. disp. 3. th. 25. Calvinus etiam pro  
more suo Judaicæ corruptela fuligine in verbis his aspergens, posse  
inquit, comment. h. Psal. aliquatenus Davidus persona congruere quod  
hic dicitur: imo omnibus regibus &c. ad Christum vero aptari & accom-  
modari quasi typice debere, ob responsum Christi Matth. 22. Hæc ille:  
eui per omnia suffragatur Enjed. in Eplic. L. L. v. & N. T. p. 81.

S. 10. Nos missis absurdis his & manifestè falsis opinionibus  
statuimus & asserimus, nullum hic nudum hominem, sed ipsum  
Meßiam Ḥēdū Ḥawwār Paribus & imprimis Davidi promissum tan-  
tum intelligi posse & debere: idq; probatum damus seqq. documen-  
tis, è quibus supra adducta Rabb. deliria, ut & Pontif. & Calvinus  
commenta facile corrident. I. desuminus ex ipsa voce natura &  
usurpatione. Notum est, vocabulum אֶלְךָ אַדְנִי frequentiter qui-  
dem usurpari de Angelis & hominibus, sapissimè tamen verum &  
æternum DEUM denotare: idq; inter alia, quando 1. eum augmen-  
to jod. in fine, Præcedente Kamerz magno in uno contextu & de eodem  
subjecto effertur; 2. talia ei attributa adduntur, quæ nemini nisi vero  
DEO competere possunt. Utrumq; h.l. occurrit: Prius quidem vers. r.  
ubi David illum, quem vers. hoc 1. Adoni vocaverat, cognomento  
DEI proprio Adonai appellat, dicens אֶלְךָ אַדְנִי עַל. Dominus  
ad dexteram tuam ô æterne Pater confringet &c. conf. inf. sect. 2.  
q. 1. & seq. 3. q. 2. Posterior è contextu totius Psalmi facile eluce-  
fit: Defertur huic Domino 1. gloria & majestas sejtonis ad dex-  
teram Jehovæ; qualem nulli Angelicæ eminentiæ, nedum alii  
creatüræ unquam à DEO vel minimâ significatione oblatam esse,  
aut offerri posse, Sp. S. Ebr. 1, 13. asseverat. Tribuitur ei 2. regnum  
& sceptrum è Zione ad dominium Catholicum in medio inimicorum.  
Est 3. simul Rex & sacerdos, non legalis, sed secundum ordinem  
Metabisdeck., & quidem æternus: est iudex gentium, &c. Qua &  
alia attributa sublimia & mystica nulli creatüræ, præter eam solam  
quæ cum unigenito ΘΥΡ personaliter unita est adscribi possunt.

S. 11. II. Fundamentum ducimus à Persona Davidis, Psalmi hu-  
ijs

ius authoris, ut ex ἐμῷ φῶ & Christi testimonio Matth. 21, 42.  
patet: Is, eum, cui Jehovah dixit, Dominū vocat, non honoris causā,  
quā ratione hæc appellatio in colloquio mutuo à qualibus vel in-  
terioribus tribui solet: sed suum Dominum, quæ relatio superiori-  
tatem quandam hujus domini supra Davidem, cum obligatione  
alicujus subjectionis & obedientiæ conjunctam importat, uti pa-  
tet ex Gen. 14, 12. 14. 35. &c. c. 31, 35. c. 44, 7. 18. 19. Ex. 4, 10. 13.  
z. Sam. 25, 24. seqq. & ferè infinitis locis aliis. Talem autem Do-  
minum David Rex potentissimus regni Israelitici tum temporisli-  
beri & nulli alii dominio subjecti; Propheticā præterea & patri-  
archali dignitate excellens, neminem præter solum DEUM agno-  
vit. E. III. Ex propriā Rabb. confessione, quorum multi, quemadmo-  
dum jam olim Patres ipsorum coram Christo, vi veritatis adacti,  
negare non audent, Messiam hīc intelligi: Nomina & testimonia  
illorum citat P. Galatin. de Arcan. Cath. verit. l. 8. c. 24. & ex eo  
Riyet. Comm. in Psalm. Propb. p. 431 conf. G. B. Luth. T. 7. p. 306.  
IV. Invictum tandem argumentum & firmissimum assertioni no-  
stræ testimonium luppeditant ipse Salvator noster, ejusq; Apostoli,  
interpretes citra controversiam irrefragabiles, & testes omni exce-  
ptione majores, qui in suis concionibus & scriptis Psalmum hunc,  
& in specie Aphorismi nostri verba, aliquoties ad stabilienda ar-  
dua aliquot fidei mysteria, tanquam αἴωνα & indubitatum prin-  
cipium adducunt, eoq; adversarios suos convincunt & confun-  
dunt, uti videre est Matth. 22, 42. Mat. 12, 36. Att. 2, 34. l. Cor. 15, 25.  
Ebr. 1, 13. c. 7, 17. &c.

§. 12. בְּ ] Sequitur quartum, Quid np. Jehovah huic Domi-  
no Messiae dixerit, celebri & Majesticā hæc invitatione, sede ad dese-  
tram meam expreßum: quā quid denotetur, è sequenti vocabulo-  
rum illius invitationis consideratione patescet. Est igitur vox hæc  
Fue. 1. seu imperativus à rad. בְּ Chald. בְּ יָתַן sedit, confedit, man-  
sit, habitavit &c. In N. T. per duas voces καθίσαι & καθίζει expri-  
mitur. Cæterum verbum hoc varias in omnilingua habet signi-  
ficationes tam in malam quam bonam partem. Acceptiones in  
malam partem, quia hujus loci non sunt, omittimus: videri tamen  
possunt apud Flacium & alios. In bonam partem acceptum, in sa-

eris & hominibus, & DEO, & speciatim Christo ~~Deo~~ Geāta  
tribuitur.

§. 13. De *hominibus* quando dicitur, præter communissimam  
acceptiōem pro certo corporis positi stationi aut ambulationi  
opposito, notat idem quod *habitare*, & *commorari* in aliquo loco:  
*Exod.* 16, 3. *Deut.* 6, 7. c. 21, 13. *Esa.* 18, 3. *Matt.* 4, 16. *Act.* 18, 11. &c.  
2. *quietē* & *securē* vivere *Gen.* 49, 24. *Esa.* 30, 7. c. 47, 8. *Zach.* 1, 11.  
3. *Docere* & Ecclesiastico munere fungi *Matt.* 23, 2. quo sensu &  
apud Historicos Ecclesiasticos verbum hoc frequens est. 4. *judicare* & *regnare*, *Ex* 11, 5. *Deut.* 3, 2. *Jos.* 13, 10. 1. *Reg.* 1, 13 seqq. &c.  
Ultimo hoc modo D E O sapius in Scriptura S per ἀρχὴν τὰ διατάξεις  
tribuitar, idq; non uno respectu, sed vel ratione *presentia* ejus uni-  
versalū, quā omnibus creaturis, etiam impiis tanquam justus & se-  
verus iudex potentissimè adeſt & dominatur: hoc respectu dici-  
tur *sedere super globum terre* *Esa.* 40, 22. *Dominus sedens in diluvio*  
*Ps.* 29, 10. *sedere super thronum sanctitatis sua* & *regnare super gēn-*  
*tes Ps.* 47, 9. *vel presentia gratiōsa*, juxta quam Ecclesiæ suā gratiā,  
potentissimā defensione, & omnis generis beneficiis cœlestibus sese  
manifestat: hoc sensu dicitur *sedere super Cherubim*. 1. *Sam.* 4, 4.  
2. *Reg.* 19, 15. *Ps.* 80, 2. *Esa.* 37, 16. *vel presentia miraculosa*, quam in sin-  
gularibus visionibus exhibuit 1. *Reg.* 62, 19. *Esa.* 6, 1. *Dan.* 7, 9. & in  
Apocalypsi frequentissimè ubi sedens in solio excelfo, ad gloriose  
sua majestatis indicium Prophetis apparuit conf. *Flac. Clav. Script.*  
in voce *sedere Glass. Rhet. fac.* p. 151. Tandem Christo vocabulum  
sedere tributum, pro diverso ipsius statu diversam obtinet signi-  
ficationem. In statu *exinanitionis* quando de eo reperitur, notat  
plerumq; *vel propriè dictam sessionem* *Matt.* 13, 2. c. 15, 29. *Lao.* 5,  
3. 29. *Joh.* 4, 6. &c. *vel conversationem* & *commorationem* in ali-  
quido loco *Matt.* 26, 55. In *exaltationis* statu tribuitur eidem *con-*  
*junctum* *vel cum voce throni*, *Ap.* 3, 21. *vel tubium* *Ap.* 14, 14. 15, 16.  
*vel dextra DEI*, h. l. & *Matt.* 22, 44. *Mar.* 12, 36. *Lus.* 20, 42. *Aū.* 2,  
34, 35. *Ebr.* 1, 13. Atq; tunc notat potentissimum, infinitum ac di-  
vinum Christi dominiū quod vi unionis personalis & exaltationis  
immediate in omnes creaturas exerceat. Quā de re pluribus agetur  
*inf. sect. 3. q. 2. 3. 4. 3. 6.*

S. 14.

§. 14. לְרִיבָנִי A rad. verbali iusitata יְרִיבָנִי est nom. hoc  
fœm. יְרִיבָנִי h. l. cum affixo pronominis primæ personæ jod, & præ-  
fixo ה inseparabili, quod subsequens jod schevandum quieti tradit,  
eiusq; approprietatam quietis vocalem assumit. Ipsa verò hæc  
dexteræ vox pro diversâ subjectorum, quibus apponitur, ratione  
diversas habet significationes, quas observarunt Flac. in clav. &  
alii. Nos prætermis h. l. usurpationibus alienis, quidditatem &  
naturam dexteræ divinæ tantum paucis considerabimus. DEO  
igitur dextera in sacris tribuitur, non à propriè, pro certa corporis  
parte, ut olim *Antropomorpha* somniarunt, nec melius hodiè  
*Vorstus*, *Photin.* & *Weigeliani*, vid. *sc̄t. 2. q. 2.* Hoc enim DEI  
Spiritualitati & simplicitati, infinitati item & immensitati repu-  
gnat: conf. *Job. 4,24. 2. Cor. 13,17. Luc. 24,39.* Nec 2. pro certo in cœ-  
lū loco creato & circumscripto ut *Calvin.* volunt: vid: *sc̄t. 3. q. 1. sc̄d*  
εν θρωποποιῶς ad eum transfertur; Ἰερωποτῶς verò intelligi &  
explicari debet. Quemadmodum igitur vox dexteræ de homi-  
nib; quandoq; métonymicè pro potentia, labore & auxilio ac-  
cipi solet: ita & DEO tributa summa ejus, divinam & infinitam  
virtutem, potentiam & Majestatem, rebus omnibus potenter, præsen-  
ter & insuperabiliter dominantem indigitat.

§. 15. Patet hæc Explicatio 1. ex variis scripturæ S. locis, in qui-  
bus appellatur dextera virtutis Dei *Matt. 26,64. Lus. 22,69.* dexte-  
ra Majestatis *Matt. 25,31.* dextera super omnem potestat. m & prin-  
cipatum *Eph. 1,20.* dextera Majestatis Dei in excelsis *Ebr. 1,3.* dextera  
throni Dei & throni majestatis c. 8, 1. & 12,2. &c. Jam, qualis dexte-  
ra DEI, talis & potentia & gloria illâ dexterâ indigitata. Dextera  
autem DEI increata æterna & infinita E. 2. Ex variis operibus &  
actibus huic dexteræ in Psalmo nostro tributis: ut sunt 1. quod per  
hanc dexteram inimici filii Dei ad pedes ejus debeat prosterne. 2. vir-  
ga virtutis Christi è Zione à Domino emissâ gubernari. 3. per eam  
JESUS Nazarenus in medio inimicorum dominari. 4. in respectu ad  
hanc, populum voluntarius, Christiani, adorationem religiosam Chri-  
sto deferre. 5. hac ipsâ dextera Christi sacerdotium aeternum stabiliri.  
6. eadem Reges frangi, judicium in gentes exerceri &c. Qui actus  
omnes & singuli dexteræ huic attributi, divinam majestatem &  
poten-

Potentiam requirunt. Conf. D. Schrōd. in Throno Reg. part. 2. 2. 2. 3. 4.  
ubi idem hoc argumentum uberrimè deduxit.

§. 16. Manifestum porrò è Scripturarum collatione est, dexteram, quat. dicto modo infinitam potentiam & gloriam denotat, non uno modo & respectu DEO tribui; sed quandoq; extra hunc in quo versamur, articulum, quandoq; in eodem. Utrobiq; autem non alia atq; alia (siquidem ut una Deitas, ita & non nisi una DEI potentia est;) sed una eademq; gloria & potentia intelligitur, hoc tantum cum discrimine, quod extra hunc articulum DEO attribuatur in relatione ad creaturas, idq; absolutè quat. omnibus personis communis est, & indivisiè competit: In hoc autem articulo tantum in relatione ad Christum; idq; non absolute (alias enim Christus diceretur sedere ad dexterā sui ipsius, & Spiritus S. quod ἀγγελοφορ) sed determinataè, quatenus est potentia DEI patris; Christo per unionem exaltationis gratiam vere & perfectissimè communicata. Prius patet 1. Ex acceptione vocis Jehovah, quæ, uti & Gr. Θεὸς in hoc & N. T. locis ubi dictum hoc repetitur, non ἐστιωδῶς sed ὑπερεπι-  
νῶς sumitur, conf. sup. § 8. n. 3. 2. ex Ap. 3. 21. ubi Christus ipse testatur, quod sederit cum Patre suo in throno ipsius. Unde 3. in symbo-  
lo Apostolico credimus, Christum sedisse ad dexteram Dei patris  
omnipotentis. Posterior inde constat, quod Scriptura S. sessionem  
ad dexteram DEI nunquam ante, sed expressè post exaltationis  
gloriam Christo tribuat: Marc. 16. 19. Eph 1. 20. 21. phil. 2. 8. 9.

§. 17. ¶] Incipit Aphorismi nostri pars altera consequens &  
effectum hujus sessionis exprimens: hostium np. Christi subjugationem. Ad cuius singulas circumstantias antequam accedamus,  
paucis prius in sensum particulæ ¶ donec, usq; &c. inquiremus. Re-  
fert quidē Moller in Comm. in h. Psal. Nonnullos interpp. partic. hanc  
vertere per conjunctionem causalem, h. l. sede, ut ponam &c. Quæ ex-  
plicatio, et si quidem (fatente ipso Mollero) concinna est, & questio-  
nes multas præcidit: cum tamen particula hæc in sacris nullibi in ta-  
li sensu reperiatur, nec h. l. eam amplecti possumus. Primaria alias  
& commissimæ ejus significatio est, quod certum temporis termi-  
num, præteritum np. ponat, futuram verò excludat. Sed nec illa h. l.  
locum habet: sed indefinite & indeterminatè, per absolutam affirma-  
tionem

tionem cum inclusione omnis temporū sequentis accipienda est, b. s.  
quod Christus ad dexteram Patris sedere seu regnare debeat, semper  
& in aeternum, etiam difficillimo tempore, quod ipsius regno maximè  
contrarium videtur, & in quo videri poterat non sedere, ob hostium  
furorem: qui cū nondū pedibus ejus plenarie subjecti sunt, & ipsi regna-  
re videntur. Similia significationis hujus exempla occurunt Gen.  
28, 15. Deut. 34, 6. 1. Sam. 15, 35. Ps. 123, 2. Esa. 6, 4. Matt. 1, 25. c. 5, 26.  
1. Tim. 4, 13. & alibi frequenter, uti observat B. Chemnit. [Har. Ev. 6, 7.  
p. m. 160. & post eum Cl. Glass. phil. S. l. 3. tr. 5. p. 429. seqq. Eandem  
vero & hic obtinere, imò necessariam esse, evincunt illa scripturæ  
loca, in quibus Christus dicitur sedere ēis diqvexēs Ebr. 10, 12 & regnū  
ejus prædictur fore aeternum 2. Sam. 7, 13. ps. 45, 7. Dan. 7, 14. Luc. 1, 32.

s. 18. **רִנְשׁוֹן**] Ex rad. **רִנְשׁ** pro **רַנְשׁ** posuit dispositus, secundā  
radicali **ר** av ex usu lingue abjecta, est hoc Fut. 2. Hiphil. **רִנְשׁוֹן**, quod  
b. l. per enallagen pro præterito positum videtur: h. s. Sede ad dexteram  
meam, etiam tunc, quando jam hostes tuos planè pedibus tuis subjecti,  
adeo q̄ semper & in aeternum. Sensum hunc part. **רִנְשׁ**, & superius ad-  
ducta loca regni Christi aeternitatem astruentia requirunt: & similia  
permutationis hujus exempla Ex. 15, 5. Num. 23, 17. Jud. 2, 1. & alibi  
obvia, eundem comprobant. conf. Cl. Glass. Phil. S. lib. 3. tr. 3. can.  
49. Quemadmodum autem suprà ipsa exaltatio, ita & hic ejus con-  
sequens, hostium np. subjugatio, *Jehovæ Patri*, tanquam *authoris*  
tribuitur: quod tamen itidem respectu Filii non exclusivē accipien-  
dum est, quasi Christus interea dum Deus Pater inimicos in scabel-  
lum pedum ponit, ad dexteram ejus otietur; sed intusivē, ut Pa-  
tris & Filii ὥμοσία & æqualis potentia, majestas & operatio intelligi-  
gatur. Siquidem id inter alia *interpretatio Apostolica* 1. Cor. 15, 25. ubi  
subjugatio inimicorum expresē Christo tribuitur. Causas vero,  
cur h. l. subjugatio inimicorum, ut & ipsa exaltatio, & alia ejusmodi  
opera, ad Patrem sæpius, quām alias personas in Scriptura referantur,  
tres potissimum Theologi afferunt: fieriq; id ajunt 1. Propter di-  
vinitatis fontem & originem. 2. Propter communicatam Filio à Patre  
ut essentiam, ita & potentiam. 3. Propter spontaneam Christi exina-  
tionem, & obedientiam Patri præstitam. Vid. de his Schibd. par. 3.  
Thron. Reg. c. 11. & B. D. Gerh. cont. Harm. d. l. p. 1403.

S. 19.

§. 19. אִינְמִיכָּס ] Nulla fere circa vocē hanc occurrit difficultas:

Quantum enim ad Etymologicam ejus formam, est Nom. Masc.  
plur. & sing. אִינְמִיכָּס inimicus, ex rad. verbali אִינְמַכָּה : h. l. cum affixo prono-  
minii secunda pers. ־, quod multisudinis notam extrudit, & pro Chie-  
reec segol substituit: significat hostes tuos, Messiae np. seu Domini  
ad quem Jehovah verba facit. Quinam vero illi sint e Scriptura  
manifestum est. Numerosam illa nobis hostium Christi tam cor-  
poralium quam spiritualium monstrat cohortem. Omnium Dux &  
caput summum est Diabolus juratus & capitalis Christi & Christiano-  
rum hostis & adversarius i. Pet. 5, 8 fortu ille armatus Matth. 12,  
29. Princeps mundi Job. 14, 30. cum toto suo infernali regno, Ange-  
lis np. & spiritibus malis, numero infinitis, immanitate crudelissi-  
mis, nocendi arte astutissimis. Sub his velut agminum ductoribus  
sunt hostes corporales, totus np. mundus in maligno positus: h. e.  
omnes impii & infideles, qui Christo & regno ejus adversantur, sive  
sunt extra Ecclesiam, ut Pagani, Turcae, Judaei: sive in externo ejus  
coetu & confortio, ut heretici: Impii & hypocrite, hostes crucis Christi  
Phil 3, 18. Tyranni & persecutores &c. Hi omnes turmas quasi &  
cohortes in infelici hoc agmine constitunt, & assidue contra Chris-  
tum ejusq; Ecclesiam bellum պատօն gerunt. Dicuntur autem  
hic Christi hostes, quod ipsorum odium, & ex odio profecti conatus  
hostiles, in Christum ejusq; regnum & membra immediate feran-  
tur. Non autem iterum exclusivè id intelligendum est, quasi non sine  
Patris etiam hostes: sed inclusivè. Quemadmodum enim honor  
vel lignominia quam legatus afficitur, in legantem redundat ita & hic,  
& quidem multò magis, quicquid Filio fit, redundat in Patrem, qui  
cum tanquam legatum misit: teste ipso Christo Matth. 10, 40. Job.  
5, 23. C. 15, 23.

§. 20. שְׁבֵלֶת ] Scabellum pedum tuorum. Jun. &

Trem. de verbo ad verbum vertendum putant Scabellum ad pedum:  
ut sic ist. ה sit particula inseparabilis, per aversio פִּנְגָּר ad vocem poste-  
riorem trajecto, cum regulariter priori prafigenda esset: sed non ne-  
cessere videtur, ut eò recueramus, cum ejusmodi anastrophe in Scri-  
ptis insolens sit. Potius igitur cum D. Tarnov. Piscat. & aliis sta-  
tuimus, ה recti posteriori praefixum, inservire exprimendo casu genitivi.

viii

vo: In priori verò ellpsi Ebreis usitata deficere; subintelligi tamen & per praeposit. in seu Ad exprimi posse. Comprobat hoc verbi naturalis construcio, quæ, dicente Buxtorf. semper fit per Accusat. cum prepositione; eaq; vel expressa, vel deficiente & subinclusa: ut exempla Ps. 21, 7. Ps. 18, 12. E/a 5, 6. Jer. 2, 15 &c. evidenter ostendunt. Hæc de vocibus, in quibus præterea nulla est difficultas: Prior enim ipsam rad: exhibit: altera est Nom. dualis num. cuius sing. רָגְלָה à rad. לְגַלֵּה, h. l. cum affixo יְ, quod literarum & punctorum mutationem, æquè ut in voce præcedente inducit.

S. 21. Phrasin ipsam quod attinet, cum ea variè in sacris sumatur, cognoscenda his illius est ambiguitas, ut illa, quæ hujus loci est, significatio evidentior evadat. *Triplex* autem ejus potissimum occurrit acceptio, quando de Deo aut distinctè de Christo dicitur.  
1. hac appellatione insignitur terra Esa. 66, 1. Matth. 5, 35. Act. 7, 49. quo Dei in terris etiam, ut insimâ mundi parte præsentissimi im- mensitas & majestas denotatur. 2. Arca fœderis, in tabernaculo pri- mū post in Sancto sanctorum templi Hierosolymitani reposita, in qua speciali revelatione suam se præfenuit declaratum Jeho- vah promiserat, i. Par. 28, 2. Ps. 99, 5. Ps. 132, 8. Thren. 2, 1. quamvis & totus sanctuarii locus in quibusdam hisce citatis locis intelligi com- mode possit. 3. Rer. alitujus ex justa indignatione ignominiosa ab- jectio & conculcatio. Hoc sensu de Christo dicitur, quod omnes ho- stes sint ponenti in scabellum pedum ejus, hic & in supra citatu N. T. locu: quod nihil aliud indigitatur, quam perfectissima eorum devictio, subjugatio & summa miseria, in qua cum consternatione & dolore Regis hujus potentiam & majestatem agnoscant, suamq; contrâ impietatem & audaciam, quod ei se opponere ausi fuerint, detesta- buntur. Ipsa verò hæc sermonis formula desumpta est ab antiquo ritu & consuetudine victorum, imprimis orientalium, qui devictis hostibus tanquam scabellis pedum utebantur; uti præter Scripturæ locutiones & exempla i. Reg. 5, 31. Ps. 17, 39. Ps. 47, 5. Jof. 10, 24. Jud. 1, 7. Profanarum historiarum monumenta testantur. De Sapore enim Persarum Tyranno legitur, quod Valerianum Rom. Imperatorem bello victum, inquisimmo modo vincitum circumduxerit, & scabelli vice in ascendendo eqvo usus sit. Similiter de Tamerlane Schy- rum duce refertur, quod Bojacevem Imperatorem Turcum ferre ca-

veræ inclusum per totam Asiam circumduxerit, & quoties in eorum  
conscendere vellet, eo procumbente, ergo ipsius pedem imposuerit. Quorum exemplum imitatus Papa Alexander III. detestandâ insolentia pedem collo Imperatoris Friderici I. cognomento Barbarossa, imposuit, cum Imperator ei pro redimendo Filio Otthonem  
supplex fieret. De quib. vid. Bucholtz. Chronol. p. 184. & 380. Parens medull. Hist. Prof. p.m. 444. 682. 817. seqq. Alias sive expositiones,  
sive cogitationes super hæc verba nonnullorum veterum interpp.  
qui (referente Riveto in h. l.) per Scabellum pedum vel Christi hu-  
manitatem; vel ejus carnem in cena: vel hostium Christi conversio-  
nem &c. intelligunt, hic lubentes præterimus: dabitur infra de illis  
diss. rendi occasio in quaest. ultima seck sequentia.

## SECTIO II.

### Continens Aphorismi hujus ab Adversa- riorum depravationibus vindicationem.

I. An diversa appellationes Ιησοῦς Θεοῦ &c. quā Pater, &  
Αρχὴν κυρίου quā Filius hic & alibi in scriptura frequenter di-  
stinguuntur essestiale inferant inter Patrem & Filium dis-  
crimen, & Filium à Deitate excludant?

§. 1. Ita opinantur, vel impiè potius hallucinantur Arriani ve-  
teres & recentiores, qui ex hoc & similibus Scripturæ locis Christi  
divinitatem impugnant, uti è Catech. Racov. Germ. p. 139. Socini libi  
Suasor. p. 32. Osterod. inst. c. 10. Enjed. Explicat. L.L. Script. p. 179. &c.  
videre est.

§. 2. Verum respondemus s. Etsi quidem nomen Tetragram-  
maton à LXX. ubiq; ut & Apostolis in N. T. frequenter per τὸ κύ-  
ριον vertitur: nemo tamen nostrum Theologorum ex nuda  
voce & appellatione Domini argumentum pro divinitate Christi  
desuicit; quin potius omnes ferē dicunt, vim argumenti in hoc &  
similibus locis consistere in relatione ad Davidem, sessione ad dex-  
teram, oppositione & reliquis circumstantiis, quæ Dominum hunc  
à creaturis omnibus eximunt, ejusq; divinitatem manifestè & im-  
mota evincunt. vid. B.D. Gerb. cont. Harm. Ep. c. 157. p. 1394. conf. &  
sup. §. 8. 10. 14. 15. Frustra igitur laborant Photiniani in refutando  
hoc argumento, quod tamen ita simpliciter nostrum non est, sed  
nobis.

nobis ab ipsis affingitur. II. Causa vero ob quam Pater & Filius diversis his in Scriptura appellationibus distinguuntur, quando utriusque mentio fit, minimè ea est, quam Photiniani impie prætendunt: nomina enim hæc communia sunt omnibus Trinitatis personis, quibus & promiscue in Scriptura tribuuntur. Quare, quemadmodum quando Christus vocatur Dominus, concludi inde non potest aut debet, Patrem non esse Dominum: ita contraria, quando Pater Deus appellatur, ab illa Deitate non est excludendus Christus Filius. III. Nec assentiri per omnia possumus Cl. Riveto, qui comment. in h. l. p. 431. hanc, ait, primam esse causam cur Christus Dominus vocetur: Ne scil. cum aliqui viderent nomen יהוה dubius tribui personis simul, duos putarent esse Deos, quod apud Iudeos, quibus non ita notum erat Trinitatis mysterium proclive fuisset. Nam i. Sp. S. expresse tribuit nomen hoc duabus personis in eodem loco & commate Gen. 19,24. Hos. 1,7. Zach. 2,11. c. 3, 2. quod non fecisset, si tale quid metuendum fuisset. 2. adeò ignotum Iudeis, tunc quidem temporis, in Ecclesia syncera & orthodoxa mysterium Trinitatis fuisse, ut si nomen Tetragrammaton duabus personis tributum vidissent, in damnabilem propterea errorem de pluralitate Deorum prolapsi fuissent, periculosa viderut assertio, à qua merito, in publicis praesertim scriptis, ob adversarios Photinianos, mysterium hoc in V. T. ulli notum, aut ad salutem crediti necessarium fuisse, protrahentes, abstinendum esse putamus.

S. 3. IV. Veram igitur hujus rei causam cum orthodoxis Patribus & Theologis duplicem hanc damus, fieri; illud dicimus 1. in textu quidem Ebraeo ob naturam nominis Tetragrammati Jehovah: quod, cum sit esse Dei nomen, nulla admittit affixa, quemadmodum Dei essentia nulla accidentia. Cum igitur David Messiam Christum Dominum suum appellare vellet, necessario tale nomen adhibere debuit, cui affixum prouominis addi posset. 2. Ad denotandum Christi officium: quoties enim Christus cum Patre in Scriptura conjungitur, & in relatione ad homines Dominus vocatur, respicitur illa appellatione præter ejus divinitatem (juxta quam ab aeterno, & omnium creaturarum Dominus est) ad officium ipsius redemptorium & mediatorium: per hoc enim vere Dominus noster factus est, qui nos ē captivitate Satanæ velut manu asseruit, & in li-

bertatem filiorum Dei vindicavit. Quod ipsum, tantum abest ut di-  
vinitati ejus aliquid deroget, ut potius eandem clarissimè demon-  
stret & confirmet: Cum homines æternæ morti & potestati Satanæ  
subjectos propriâ virtute liberare, non sit nudum opus humanum  
sed divinum.

11. An ex hoc & aliis locis, in quibus D E O locutio, velut  
actio externa per organa corporea facta. & dextra tanquam  
membrum corporeum tribuuntur, D E U M  
corporeum esse concludi possit?

§. 1. Absurda hæc & in Deum Opt. Max. multis modis injuria,  
opinio, passim habuit suos assextores & defensores. Nam extra  
Ecclesiā præter Stoicos & alios nonnullos priscaos Philosophos, uti  
Justin. in Epist. & Euseb. lib. 4. preparat. Ev. c. 6. testantur (quamvis  
Lipſi in Physiol Stoic. l. 2. differt 4. 5. defensionem eorū suscepit)  
Rabbini olim formiam & partes corporis veluti creato & compo-  
sto animanti, unico terum cunctarum Parenti tribuerunt, uti idem  
Justin in Dialogo cum Tryph. refert: inq; eo errore Turca & reliqui  
Paganī hodiēnum persistunt. In Ecclesia primò omnium huic erro-  
ri affinis videtur fuisse Tertullianus, qui Stoicorum stylo seductus, in  
lib. aduersus Praxe. Deum non semel corporeum esse scribit. Post  
hunc circa An. C. 370. errorem hocce dogma amplexus est Audius  
sive Audæus, homō natiōne & lingua Syrus, e Iesuq; tot invenit astipu-  
latores, ut citissimè non tantum per totas urbes & regiones Asiae  
própagatus fuerit, sed & Italiam & Galliam perantos bene multos  
occuparit. Hæresi huic addicti primo ab authore Audæani, post ab  
errore ipso Anthropiani, seu Anthropomorphitæ dicti sunt: dc.  
quib. vid. Euseb. Nizeph. Barón. T. 4. Annal. ad A C. 341. seqq Alsted.  
Thesaur. Chronol. p. 247. & alii.

§. 2. Nostro autem seculo, præter Photiniānos, Weigelianos,  
Anabaptistas & alios Fanaticos, qui etiam errorem hunc fovent, uti  
ex Smaltz. Exam. CLVII. Error. Err. 18. Weigel par. 1. postil. p. 214.  
par. 2. p. 286. & Colloq. Anabapt. Embdano colligere licet:) Conrad.  
Vorstius Prof. Acad. Leidens cum aliis suis novitatibus & contra  
summam Dei simplicitatem lugillationibus monstrorum hoc, &  
pridem ex Ecclesiā pometis exterminatum dogma, postlimiō  
reduce-

reducere & teudare conatus est: uti patet ē lib. quem scriptit deo  
Deo & Atribut. p 201. 251. & Amica collat. cum Piscat. scđ. 34. 35.

S. 3. Inter cætera v. argumenta, & hoc utuntur, quod Deo sermo seu  
loquela, que sit per organa corporea, ut & dextera, tanquam membrum  
& organon in se corporeum huius & alibi sapissime tribuatur. Verum  
quam elutabe & futile hoc sit argumentum, quis non videt? Tri-  
buntur Deo in Sacris varia à creaturis corporeis desumpta: Sic Dei  
infiniti & immensurabilis instituitur dimensio, & longitudo ejus lon-  
gitudinem terra, latitudine vero maris latitudinem excedere dicitur  
Job. 11. 9. tribuuntur ei septem oculi Zech. 3. 9. & 4. 10. Alia Ps. 17. 8.  
Ps. 36. 8. Ps. 91. 4. Cornu, 2. Sam. 22. 3. Ps. 18. 3. Taceo alia loca, in  
quibus dicitur Leo, Ursus, Lux, ignis, lucerna, rupes, turris &c. quæ o-  
mnia si propriè acciperentur, monstrosa certè corporis figura Deo  
tribuenda foret. Quod cum de tanto Numine vel cogitare nefas  
sit, extenq; in contrarium expressa loca, in quibus (ut supra Scđ. 1.  
S. 14. ridimus) Spiritus carnem & ossa non habens dicitur: necessa-  
riò juxta piaz antiquitatis, imprimis Athanasii in Dial. 1. de Trin. p.  
143. regulam ejusmodi attributa de Deo ἀνθρωπῶς accipien-  
da, Ἰσοργεπῶς vero intelligenda sunt. Conferantur & hinc refe-  
rantur quæ supra in hanc rem pluribus dicta sunt.

S. 4. Vorstius hæc nimis crassa esse videns, alià viā, verbis np.  
mollioribus, & exegitato commento rem obtinere aggressus est.  
In lib. enim supra allegato, Deo corpus citta absurditatem tribui  
posse ait, Si vox corpori accipiatur in significatione latiori, pro solidis  
eiusus rei veritate & substantia inaniphantasmati & umbratili acci-  
denzi opposita: si q; spiritum etiam includat, ut pote qui sui generis  
corpus, in sua effigie. Hanc acceptancem ita probat: 1. Quod August.  
alicubi spiritum sub corpore, tanquam Genus sub specie compre-  
hendat. 2. Quod pleriq; Theologi veteres Angelos corporeos esse  
statuant, quamvis spiritus esse non negent. 3. Apostolus in hac ipse  
significatione vocem corporis accipiat Col. 2. 17. & Ebr. 10. 1. Atq; hinc  
concludit, meram esse λόροπεχίαν, si quis hoc in parte vel Terrull. vel  
quenquam alium, qui DEO corpus tribuit, reprehendere velit. Verum,  
ut ut Vorstius vel alios defendere, vel suum errorem palliare con-  
etur, merito, (ut Cl. Riveti verba in Comment. super decad. Psalm. Prophe-  
p. 9. mea faciam) pro impiâ hâc assertione vapulat. Nam i. com.

mittit fallac. causæ, & fædam confusionem corporis & spiritus ins-  
troducit: Non enim latior illa corporis acceptio Vorstiana facit, ut  
res sit, aut verè dici possit corpora ea, sed de stricta & propria signifi-  
catione quæritur. Quod si hoc modo vocabulis ludere, & pro lu-  
bitu eorum significaciones extendere licet, quidvis quodvis, cali-  
dum frigidum, album nigrum &c. dicetur. I. Augustini & reliquo-  
rum Theologorum veterum, ad quos provocat, verba & loca non  
addit: novimus quidem Patres nonnullos, ut Orig. Tertull. Caſtan.  
Damascen. & ex parte Augustin. injicere quandoq; in scriptis suis  
mentionem Angelorum corporum (*vid. Brochm. T. I. p. 235.*) sed &  
hoc scimus, ipsos homines fuisse, qui liberius quandoq; imprimis  
ante motam controversiam & extra certamen locuti sunt. Quare  
omnia ipsorum verba & effata infallibilia non agnoscimus, sed ex Sa-  
cra literis de illis judicamus, quod & ipsi fieri volunt. Excusantur in-  
cerim merito BB. Patres, cum alibi ex professo Angelorum spiritua-  
litatem astruant. *conf. Schneideri Angelog. p. 25. th. IV. Tertia Vorstii*  
*ratio procedit à diversis, à quibus semper mala sit illatio: Non enim*  
*seq. apostolus Spiritus S. instinctu immmediato scribens, metaphorice in*  
*oppositione ad συνάντα, quā in eadem significazione tropicā V. T. ce-  
remonia & sacrificia significantur, Christum & mysteria N. T. vocat*  
*σώμα: E. & Vorstio licet præter, in modo contra Scripturam Deum vo-  
care corpus & corporeum, idq; in significazione latiori quidem, at-  
tamen propriā, & nullo tropo involuta: de hac enim tantum qua-  
stio est. Taceo hīc, quam injuria hæc, ne dicam blasphema in Dei*  
*simplicitatem, infinitatem, immutabilitatem &c. assertio sit: Cui,*  
*qui se opponit, non λογογράφεις, Vorstio judice, sed ipsam veritatis*  
*defensionem suscipit.*

S. 5 Supersunt Anabapt. Photini. & Weigeliani, qui consequen-  
ter in Anthropomorphitarum veterum & recentiorum castra tran-  
seunt, dum statuunt. Christum non assumpisse corpus ex Maria, sed  
Deum Patrem preparasse ipsi corpus ex suo ipsius incorruptibili semi-  
ne. it. Christum habere duplex corpus, alterum divinum & cæleste,  
quod à Sp. S. alterum carnale & mortale quod ex Maria. it. Christi  
carnem non tantum sanguine & substantia Mariæ formatam, sed ex  
nova materia à Deo vel utero virgineo immissa, vel inibi creata, con-  
ceptam & genitam esse: quæ sunt expressa horum Fanaticorum in

Supra

sopradictis ipsorum scriptis verba. Sed cum quivis videat, hæc  
erassa esse, ex deliro ipsorum cerebro nata commenta, Scripturæ S.  
directè contraria, in specie ea discutere & refutare operæ pretium  
non existimamus, cum id jam ante à nostris Theologis præstitum  
sit, Vid. B.D. Gerb. Exeg. T. 1. p. 741. seqq. Thum. Imp. Weigel. Error.  
28. seqq. Brochm. T. 1. Syst. Theol. p. 122.

§. 6. Tandem hic etiam locus est dicendi aliquid de rugis Bel-  
larmini, qui l. 3. de Christo c. 15. resp. 1. ad arg. nostr. B. Luthero absurdam  
hanc & crassam opinionem affingit ac si is per dexteram Dei  
partem vel membrū corporis intellexerit, cum in libro, cui tit. quod  
verba adhuc firmarent, scriperit, carnem Christi non esse in minimo  
digito aut ungue dexterae Dei, sed in ipsa Patris dextera. Sed quid est  
calumniari, si hoc non est? Quam sanè & orthodoxè B. Luth. de  
dextera Dei senserit, scripta ipius hinc inde testantur: ex quibus  
verba huc facientia diligenter collegit Dn. Schröder, Par. 2. Thron.  
Reg. c. 9, & par. 3. c. 17. Quod vero in objecto à Jesuita loco mini-  
ne sibi contradicat, tam manifestum est, quam quod manifestissi-  
mum: Non enim affirmat ibi dexteram Dei digitis & unguibus pro-  
priè dictis præditam esse, sed αὐθεντῶς tantum cum Scriptu-  
ra loquitur, & quidem per remotionem; ut innuat tum dexteræ hu-  
jus indivisibilitatem, tum sessionis perfectionem: quod sc. Christus  
non sedeat ad partem dexteræ Patris, quæ nulla est, sed ὅλην ad  
ipsam dexteram Dei Patris. Conf. B. D. Meisn. par. 2. Ph. S. c. 1. q. 2. D.  
Feurb. Fas. d. 1.

III. An cum hic dicatur, hostes Christi ponendos esse ad  
ad scabellum pedum ejus, conversio universalis & salus  
eterna omnium impiorum, tanquam hostium  
Christi, colligi exinde possit?

§. 1. Originem olim errorem hunc de universalib[us] impiorum con-  
versione, imo & ipsorum Dæmonum ex inferno liberacione, & eterna  
salute fuisse, constat ex lib. τοῦ ἀρχῶν c. 6. quem errorem  
refutarunt è nostratis D. Bald. comm. in Ep. ad Rom. p. 732. D.  
Brochm. T. 2. Syst. Theol. p. 7041. & alii. Inter alia vero loca & hoc  
nostro illum ad stabiliendum erroneum hocce dogma abusum  
fuisse, testantur Möller. & Rivet. comm. in b. Ps. Ab hoc porrò errore  
parum abfuisse videntur illi ex antiquis interpp. quorum alii per  
scabel.

*scabellum pedum Christi humanitatem: Alii carnem ipsius quat. in  
S. Coena nobis datur: Alii ipsam hostium conversionem & obedi-  
entiam intellexerunt. Adeoq; ponere ad scabellum, illis idem fuit,  
quod prosterni coram scabello, Cbr:li jugo se submittere, ipsum adora-  
re & genua ipsi flectere &c. atq; huc traxerunt loca Ps. 99,5. & 132,8.  
uti refert Flac. in Clav. script. sub voce scabellum.*

S. 2. Verum nulli harum interpretationum subscribere possumus: Piores enim due Papismum sapiunt, & falsa nituntur hypo-  
thesi, de peculiari adorationis cultu humanæ Christi naturæ per se,  
extra unionem personalem consideratæ, deferendo, ut & adoratio-  
ne carnis Christi, vel potius consecratæ panis in coena: quæ alibi  
discutiuntur & profligantur. Posterior, si de universalí hostium  
conversione intelligatur, omnino falsa est, & scripturæ ignota, imo  
contraria; si vero de particulari, nihil quidem in se absurditatis ha-  
bet, ( cum obviam passim exempla sint eorum, qui in ipso persecu-  
tionis opere, & hostili adversus Ecclesiam conatu mirabiliter con-  
versi sunt, & Ecclesiæ lumina evaserunt ) attramen qui in h. l. quic-  
quam pro ea sententia præsidij quærerit, fallitur. Repugnat enim huic  
explicationi. 1. Tota Scriptura S. quæ nullibi Phrasî hâc in illa si-  
gnificatione utitur. 2. Prophetæ nostri Regii Scopus: agit enim hic  
de Christi gloria, victoria & triumpho quem ab hostibus reporta-  
vit: is autem non consistebat in hostium conversione, sed expolia-  
tione, potentissimâ devictione & subjectione, teste Apostolo Col.2,  
15. 3. Hostium natura & conditio: quales hi hostes sint, luculentè  
explicat P. i. Cor 15,2, np. principatus, potestates, virtutes, i. e. (con-  
sentientibus omnibus interpp.) mundus, diabolus, peccatum & mors,  
quam P. hic hostem ultimum expresse vocat. Horum non speranda  
conversio, sed abolitio, conculcatio & subjugatio omnimoda, quæ  
hic & alibi in Scriptura certò futura promittitur conf. sup. Sect.  
i. §.21. Loca Psalmi 99, 5. & 132,8. impertinenter & coacte huc tra-  
hantur: non enim de Christo, sed de Arca fœderis, aut Sanctuario  
templi Hierosolymitani propriè & literaliter loquuntur: non hoc  
sensu quisod arca aut sanctuarium adorari debeat, ut Pontif. expli-  
cant perpetram, sed Deus, qui in sanctuario, vel potius propitiatorio  
arcæ gratiosam suam præsentiam promiserat, conf. D. Walth.  
Barm. script. S. p. 276.

## SECTIO

### SECTIO III.

Exhibens controversias, nobis cum Pontificiis, Photinianis & Calvinianis circa hunc articulum de Sessione Christi ad dexteram Patris intercedentes.

I. An dextera DEI in hoc artic. denotet certum in cœlesti beatitudine locum, creatum & circumscriptum?

§. 1. Affirmativam tenent & in scriptis suis docent, multi veterum & recentium Calvinianorum. Ita enim Bullinger. in tract. de verbis Christi: in domo patris mei &c. Dextra Dei, non tantum accipitur pro Dei potentia, sed & pro loco certo in cœlis, in quo Christus cum electis versatur. Et Piscat. comment. in 1. Pet. 3. schol. ad vers. 22. verba Apostoli, qui de Christo dicit, quod sit *ἐπεξιώτας οὐρανού*, ita explicat: i.e. *in eo loco, qui est ad dexteram Dei*. Sic Sohn. in Exeg. Aug. conf. p. 279. 280. explicat quidem dexteram hanc de Dominio & imperio in res omnes, ita tamen, *ut certum ei locum tribuat, in quo appareat, cœlum n. Angelorum & sanctorum hominum* Atq; idem sentire & docere Matyr. Polan. Bezam: ut e Pontif. Bellarm. testantur D. D. Giffen. in Zwingl. Calvin. par. 2. p. 95. 96. Feurb. Fas. 4. disp. 3. th. 4. Hinsel. disp. Anti Calvin. VII. th. 51. Fundamentum hujus assertionis querunt in eo quod Scriptura de dextera hac loquens, utatur identidem προσδιορισμοῖς, seu particulis determinativis, & circumscriptivis: *ἐν τοῖς ἐπεξιώνισι Eph. 1, 20. ἐν ψηλοῖς Ebr. 1, 3. ἐν τοῖς συγγενοῖς Ebr. 8, 1. ἀνω Colos. 3, 1.*

§. 2. Sed Resp. I. in genere: N. locus creatus & circumscriptus fuit ab æterno & manet in æternum. Dextra DEI fuit ab æterno & manet in æternum. E. non est locus aliquis creatus & circumscriptus. Maj. suâ luce lucet: quod enim creatum est, non est æternum rat. initii & finis, & contra. Minor etiam indubitate vera est, nisi dicere velimus DEUM aliquando fuisse aut futurum esse absq; sua dextra, i. e. absq; sua potentia, virtute & Majestate, quæ per dextram indigitatur: quod prodigiosè absurdum, & in DEI simplicitatem, perfectionem & immutabilitatem maximè injurium. II. in specie ad fundam. & probationes resp. I. per instant. DEUS

D

Pater

Pater dicitur בָּבֶן שְׁמַךְ פֶּתַח קֶרֶב Ps. 2, 4. וְנִזְכֵּר מִתְּבָרְגָּד Matt. 6, 9. Et  
in **Evangelio** Luc. 2, 14. &c. Ergone DEUS Pater cœlo tanquam certo  
loco erit inclusus & circumscriptus? Absurdum hoc: quia cœli  
celorum ipsum non capiunt 1. Reg. 8, 27. nec à cœlo, inferno, aut  
infimo mari abest Psal. 139, 7. 8. 9. E. & illud: nā & Christus excelsi-  
or cœlo factus est, Ebr. 7, 25. ascendit super omnes cœlos, ut omnia  
impleret Eph. 4, 10. 2. Voces igitur istæ determinantes non **μυστικῶς**  
& **θεογένετῶς**, sed **μυστικῶς** & **θεογένετῶς** accipiendæ sunt: quemad-  
modum & in aliis locis ejusmodi particula suam **μυστικὴν σημασίαν** amittunt conf. Job. 3, 31, c. 3. 23. 1. Cor. 15, 47. Gal 4, 26,  
3. Utitur vero scriptura vocib⁹ illis, **τοῦ**, quod potentia & Maje-  
stas Christi, per sessionem hanc ad dexteram ipsi collata, in cœlis  
maxime appareat & manifestetur: jam enim non videamus omnia  
ipsi subjecta Ebr. 2, 8. conf. Job. 17, 24. **τοῦ** ut indietur identitas  
throni DEI patris & Christi: quia enim scriptura de throno seu  
fede DEI Patris eodem modo dicit, quod sit in cœlis Ps. 11, 4. Ps. 103,  
19. &c. nec tamen inde quis concludit, eum certo cœli loco esse  
inclusum aut circumscriptum; quid vetat, cur, quando Christus  
ad dexteram DEI in cœli sedere dicitur, id eodem modo absq; nulla  
inclusione & circumscriptione locali intelligi possit & debeat?  
Cum unus idemque thronus sit in quo Deus Pater & Christus Filius  
sedet Ebr. 12, 2. Apoc. 3, 21. Breviter, particulae illæ hic non sunt  
**θεογένεται**, sed partim **δηλωπογενεῖ** declarentes, partim **διακεκτικαι**  
discernentes. Taceo quod nuspiam in scriptura particulis hilice  
exclusiva adjiciatur. Omitto attributa & effecta quæ huic dexteræ  
in psalmo nostro & alibi in scriptura tribuuntur, conf. sup. sect. I. §. 15.  
Concludo itaq; verbis Damasceni l. 4. de orthod. fide c. 2. Non lo-  
calem Patris dexteram dicimus: quo pacto enim qui incircumscribitur  
est, localem habeat dextram? localis dextera & sinistra, eorum, quæ cir-  
cum scribuntur, existunt. Dexteram Patris intelligimus gloriam &  
honorificentiam Deitatis, in qua DEI Filius, novissimis temporibus  
incarnatus corporaliter sedet conglorificata carne. conf. Schröd.  
Thron. Reg. par. 2. c. 1. & 14.

IL. An

21. *An sedere ad dexteram DEI sit idem, quod habere DEUM à dexteris, aut habere sibi DEUM propitium?*

§. 1. Quaravis Adversarii omnes in eo convenient, ut sententiam nostram orthodoxam gloriam np. & majestatem infinitam & divinam Christo homini per sessionem hanc ad DF I Patris dexteram plenissimè collatam esse, pernegerint; inter se tamen maximè dissident, & in explicanda sua mente, quid igitur per hanc exaltationem Christo collatum statuant, quovis Polypo mutabiliores sunt, nunc hanc, nunc aliam ex cogitantes expositionem, moxq; huic tertiam quartamvè longè diversissimam superadentes: id quod ex hac & subsequentibus questionibus ad oculum patebit. Ad praesens vero *γένη* instituendum occasionem præbet Enjedinus famosus ille Photinianæ hereseos propugnator: qui primus opinionem hanc in proscenium produxit, & solus ferè haec tenus propugnavit. Ita autem ille in Explc. LL. V. & N. T. vindicat hujus Psal. p. 84. Sedere, inquit, ad dexteram DEI, & DEUM habere à dextris in scriptura pro eodem ponuntur. id porro ita probare conatur. Nam de quo vers. 1. dicitur, quod sedeat ad dexteram DEI, paulò post vers. 5. de eodem dicitur, quod habeat DEUM à dextris: idem vero David de se dicit Ps. 16. 8. Atq; hinc concludit, divinam Majestatem & potentiam per sessionem hanc ex dextram intelli: i nō posse, cum David aut quisvis pius ad dextram DEI sedere, i. e. patrocinio DEI gratioso frui posset.

§. 2. Sed manifesta hæc est textus, imò omnium Scripturæ locorum, in quibus dextera DEI & sessio Christi ad eandem explicatur, depravatio, eaq; falso & absurdissima. Etenim i Phrasē sedere ad Dei dexteram, & Deum sibi habere à dextris vel propitium, pro eodem ponit, falsum est in scriptura, falsum & absurdum exira eandem. Prius ex scriptura constat, quæ expresse affirmat, i. quod sessio hæc sit singularissima, quæ nulli creatæ & finitæ personæ competere extra Christum Θεὸν πατέρα possit Ebr. 1, 13. At qui quisvis in hac vita DEUM sibi gratiōe præsentem habet. E. 2. quod sessionem hanc comitantur & consequantur vera omnipotentia diuinæ effecta, edita ab eo, qui ad dexteram DEI sedet: ut sint: Poten-

tisimum in medio inimicorum dominium, eorumq; omnimoda subjugatio vers. 1. Cor. 15, 25. Regni & sacerdotii aeterni possessio vers. 2. 4. Dan. 7, 14. cultus obedientia & adorationis ab omnibus populis, nationibus & linguis vers. 3. Dan 7, 14. Spiritus S. super Apostolos effusio, & donorum in Ecclesia distributio Act. 2, 33 34. Eph. 4, 8. Tale quid autem nemo qui DEUM sibi gratiōē praeſentem habet, efficere aut sibi tribuere potest: Sed omnia divinæ dignitatis & potentiae attributa & effecta sunt. E. Posterioris ita demonstro: N. Phrases quoad literam & significationem Grammaticam opposita, possunt esse synonyma Grammatica, seu pro eodem ponи. Atqui phrases haec, sedere alicui ad dexteram & habere aliquem ad dextram sunt tales E. Major immotæ veritatis est: Minorem etiam quilibet intelligit: cui enim ego sedeo ad dextram, illum non habeo ad dexteram sedentem, sed ad sinistram & contra: Atq; haec tenus Phrases haec non possunt pro eodem ponи, si propriè & literaliter intelligantur. Quod si tropicam Adversarius intendat significationem, concedimus non habere aliquem ad dexteram, vel esse alicui ad dextram sèpè significare idem quod assilere alicui, & præsto esse ad ferendam opem: In eadem vero significatione harc nostram prasin, sedere ad dextram DEI sumi in Scriptura, aut sumi posse, constanter negamus: tum ob rationes prioris membra, singularitatem np. & effecta hujus sessionis: tum ob diversissimam rationem harum pharasium, quæ se habent ut latius & angustius: nam etsi is qui sedet ad dexteram DEI (Christus np.) DEUM sibi propitium & gratiōē praeſentem habet: non tamen contraria, qui DEUM sibi gratiōē praeſentem habet (np. quivis pius) statim sedet ad dexteram DEI. Ratio è superioribus manifesta.

§. 3. Probationis loco quæ assert Hæreticus ex Ps. hujus vers. 5. & Ps. 16, 8. ea nihil probant. Nam I. Eum, de quo vers. 5. dicitur, quod habeat DOMINUM à dextris non eundem esse, de quo vers. 1. dicitur quod sedeat ad DEI dexteram, supra sect. 1. § 10. dictum est: Probanus hic id insuper, ex vers. hujus 5. cum seq. 6. & septimo connexione & coherentia, quæ tam evidens est, ut cui una versiculorum horum sententia tribuitur, ei

et non possint non cæteræ omnes tribui: cum unum idemq; omni-  
umsit subjectum. Hinc ita colligo : *De quo prædicata horum versi-  
culorum verificantur, ille per יְהִינָּה עַל אֶתְנָהָרִים* vers. 5. tanquam  
subjectum intelligitur. Atqui non de Deo Patre, multo minus Davide,  
sed Christo verificantur. E. Maj. εὐδηλός: nemo enim id subje-  
ctum dixerit, quod à prædicatis esse non permittitur. Minor è vers.  
horum cum aliis locis collatione constat. Quod enim vers. 5. dici-  
tur *Dominum hunc transfixurum Reges, id expressè Messiæ Christo*  
tribuitur Ps. 2,9. Sic vers. 6. *exercitiū iudicij in gentes*, per quod, præ-  
ter judicia particularia, intelligitur exterritum iudicium, Christo à  
Patre rat. finalis executionis traditum est, Joh. 5, 7. Similiter vers. 7.  
Bibitio de torrente & exaltatio capitis, sub quā omniū ferè interpp.  
consensu, extrema Christi exinanitio, eamq; insecura exaltatio præ-  
dicitur, nulli nisi Christo competit. II. Falsum est, Davidem Ps. 16,  
8. de se dicere *quod habeat Dominum à dextrā*: quemadmodum  
enim totus hic Psalmus, ita & hic vers. 8. non de Davide, sed propriè  
& principaliter de Christo intelligendus est. Idq; constanter asseri-  
mus non humanā aliquā conjecturā persuasi, sed ipsius Sp. S. testi-  
monio edocti & confirmati: qui per sanctissimos Apostolos, Pe-  
trum Act. 2,25. seqq. ad 31. & Paulum Act. 13,35. 36. id nos docet. Un-  
de sic concludimus: *De quo solo, aliu, qui intelligi poterant, expressè*  
*exclusis, Sp. S. Prophetiā V. T. in N. citat & interpretatur, de eo intelli-  
genda est primariò & literaliter.* Atqui de Christo, Davide expressè  
excluso, Sp. S. Psal. 16, 8. tanquam Prophetiam V. T. citat & interpretatur.  
E. Major verissima. Minor est ipsius Spiritus S. in citatis locis. Ma-  
net ergo conclusio, dicta verba Psalmi 16. non de Davide, sed de Chri-  
sto unicè loqui, & intelligenda esse: & per conseq. falsissimum esse,  
habere Deum ad dexteram, & sedere ad dexteram Dei, pro eodem  
poni. Quod contra Hæreticum erat demonstrandum. conf. D. D.  
Jac. Mart. l. i. de Trib. Eloh. c. 29. D. Rhebind. Exercit. Philolog. l. in  
Ps. 16. ib. proæm. 24.

III. An sedere ad dexteram Dei idem sit, quod vivere in  
cœlesti gloria & beatitudine Christo cum Angelis & beatis  
in altera vita communi?

§. 1. Ita satis tenuiter, de sessione hac majestatica Salvatoris no-  
stri sentiunt multi Pontif. Calvin. & Photinianorum. Quantum enim

ad Pontificios attinet, ex illis non modo Thomas & alii veterū Scholasticorum (quos B. D. Gerb. Confess. Cathol. l. 2 Par. 1. spec. p. 381. citat.) sed & recentiorum nonnulli, ut Busaeus in Apologet. contra Gerlach. c. 10 p. 106. Gregor. de Valent. T. 4. disp. 2. q. 6. p. 2. & alii id expressè docent Bellarminus etiam, quamvis peculiarem hac de re foveat opinionem, (quam inf. q. 5. considerabimus) tamen sententiam hanc non improbabilem esse ait, confirmariq; ex eo posse, quod apud antiquos sedere à dextris minus fuerit honorificum quā sedere à sinistris: unde etiam in sigillū plumbeis Pontificum, & in multis antiquis picturis Petrus à sinistra Pauli ponitur, cum tamen constet, Petro delatum semper primum locum fuisse, &c. Vid. ipse Bell. l. 3. de Chr. c. 15. & l. 1. de R. P. c. 27. Inter Calvinianos hanc Christi ad dextram sessionem ita explicant omnes ferē, quotquot per ipsam Dei dexteram locum aliquem creatum & circumscripsum intelligi volunt: quos præced. q.t. vidimus. Photiniani autem essi & hic in occultanda sua sententia antiquum obtinent, tamen quodammodo eam prodidit Enjed. qui in sup. cit. lib. p. 85. postquam thesin nostram aliquot scripturæ locis (at plane impertinentibus) infringere conatus fuerat, ita concludit: Ex quibus dictis apparet, eandem dignitatem & felicitatem, que per sessionem ad dextram Dei Patris significatur, promittere Christianum omnibus piis.

§. 2. Verū falsissimam hanc esse expositionem, breviter 1. Ex aliquot scripturæ locis in genere. 2. Ex Psalmi nostri circumstantiis in specie. 3. ex propria Adversarionem hypothesi demonstrabimus. Primum è scripturæ dictis ita argumentamur: Inter quæ Scriptura discrimen infinitum constituit, ita ut unum Christo tantum tribuat, & aliis creaturis expressè detrahatur, illa non possunt esse idem. Atqui inter sessionem Christi ad dexteram Dei, & gloriam & beatitudinem celestem Agerorum & sanctorum tale discrimen constituit E. Major certa est. Minoris expressa confirmationis habetur Matth. 19, 28. Apoc. 3, 2. & Ebr. 1, 13. In duobus prioribus locis Christus ipse distinguit inter thronum, in quo ipse sederit, & quem electis suis tribuere velit: illum vocat thronum Patris sui, thronum maiestatis sue, adeoq; increatum & infinitum: hunc thronum suum, adeoq; finitum, creatum, & sanctis paratum Matth. 25, 34. in posteriori, ita singulariter confessus ad dextram Dei Christo tribuitur, ut etiam ipsis sanctis Dei Angelis dextraha-

grahatur. Quicquid igitur Angelis rat. gloriæ & beatitudinis cœlestis denegatur, id nec *τοτε γέλοις* (beatis np. in altera vita Luc. 20, 36.) competere potest.

§. 3. Idem secundo è Psalmi nostri circumstantiis demonstrari facile potest. Tribuitur namq; fessori huic ad dexteram Dei, idque per modum causæ non instrumentalis, sed principalis, omnimoda hostium Ecclesiæ tam spiritualium quam corporalium subjugatio, & universale in eosdem dominium: religiosa adoratio ipsi à N. T. populis præstanda: sacerdotium & regnum æternum: judicium in gentes &c. (vid. sup. Sect. 1 §. 10. & 15. Sect. 3 q. 2. §. 2.) Atqui hæc opera omnia & singula Angelis & sanctis in cœlesti beatitudine viventibus, tribui aut ab illis effici nullo modo possunt: E. Tertiò propriæ Calvin, & Pontificiorum hypothesi explicationem hanc repugnare, constat. Rectè enim illi hactenus nobiscum statuerunt è Christi ad dexteram Dei sessione invictè divinitatem ejus probari. Si E. sessio illa nil aliud notat, quam beatitudinem Christo cum sanctis communem, etiam Angeli & sancti in altera vita participabunt de æterna Christi deitate seu erunt Dii. Atqui absurdum posterius E. & prius.

§. 4. Tandem etiam in specie ad Bellarmini confirmationem *præcellentia lateris sinistri præ dextero apud antiquos*, resp. Eam nullius esse momenti: Nam 1. ex pictorum & sculptorum (quibus quilibet audiendi, pingendi, sculpendi semper fuit æqua potestas) figuramentis, res alieujus momenti determinari non possunt. 2. *Posito antiquos dextrum latus sinistro prætulisse*, apud quosdam tantum gentes id observatum fuit, non verò apud Ebræos, ad quorum consuetudinem Sp. S. ut semper ferè in V. T. ita & hoc loquendi modo respicunt. conf. Gen. 48, 14, 17, 18, 19. 1. Reg. 2, 20. &c. Id quod 3. multis Pontific. Baron. T. 2. annal. ad A. C. 21, n. 7 Ribera comm. in Ebr. 1, n. 23. Peyer. in c. 48. Genes. concedunt: nec ipse Bellarm. l. i. de R. P. c. 27. certi & solidi quid contrà dicere audet. conf. Rivet. comment. in Psal. Proph. p 433. Hæc pro instituti nostri ratione ad absurdam hanc Adversariorum opinionem sufficiant: Argumenta quibus pro eadem pugnant, prolixè hic repetere nolumus, cum omnia sint heterogenea, statim controversialiæ non tangentia, & pridem à nostris Theologis B. D. Meijn. par. 2. Eb. S. sect. 1. c. 1. q. 2. D. Jac. Mart. l. 1.

*de Trib. Elob. c. 31. Schrōd. Thyon. Reg. patr. 2. c. 5. & aliis soluta & expedita abundē.*

*IV. An sedere ad dexteram Dei denotet potentiam & dominacionem Christi vicariam & medium, inferiorem Patrū, superiorem Angelorum & beatorum hominum potentiam & gloriam?*

§. 1. Zanchius, animadvertisens absurdā & incommoda exprimori opinione, quam Calviniani vetustiores de Christi ad dextram Dei sessione foverunt, emergentia, novum hoc, & primo intuitu speciosum commentum commentus est, quod lib. 2. de incarnat. p. 192, & 193. propalavit: atq; inde passim in suis scriptis Christum Patri vicarium, collegam & collateralem appellat. Illum sequti sunt, Piscat. in Anal. ad c. 22. Luc. it. Schol. in Act. 2, 34. &c. Keckerman. Sohn. & alij.

§. 2. Verū, nec sic scopolos, in quos priores incident, evitare possunt: ut ut enim commentitiam illam, quam Christo tribuunt, potentiam extollant, & Angelorum ac sanctorum hominum in altera vita longè præferant; finita tamen est, creata & limitata, ac proinde falsa, insufficiens & ab hoc loco aliena. Quod similiter probamus 1. *Scriptura auctoritate*, quæ ut neminem inter Deum & Angelos medium agnoscit: ita dominationem & potestatem ejusmodi medium plane ignorat; imò expressè contrà affirmat, *Christum sedisse à dextera virtutis*, non Deo proximā, sed ipsius Dei *Luc. 22, 69.* in ipsa *dextera maiestatis*, *Ebr. 1, 3. c. 8, 1.* ( ubi in Gr. est vox μεγαλωνύμιον quæ non nisi vero Deo in N.T. tribuitur, & in his tantum locis, & Ep. Jud. vers. 25. occurrit.) *in dextera throni Dei. Ebr. 12, 2.* Qui E. ita sedet, non regnat virtute vicariā & mediā, (quæ nulla) sed ipsius Dei infinita realiter sibi communicata. 2. *Ex operum à Christo in dextera Dei administravdorum sublimitate*: sunt ea, regimen & gubernatio omniī creaturarum, imprimis Ecclesiā tam militantis quam triumphantis *Eph. 1, 20. 21, 22.* Dominium in medio inimicorum, eorumq; conciliatio: sacerdotii & regni æterni administratio &c. (vid. sup. sect. 1. §. 10. 15.) At vero tali potestate & dominatione vicariā & mediā, ut pote limitata & creatā, nec Ecclesia gubernari, hostes aboleri, sacerdotium & regnum at. administrari nec potest nec debet. E. 3. *ex propriis Calvinianorum*, imprimis Zanchii *hypothesibus:*

thesibus: Is 1.2. de incarn. p. 193. affirmat. è sessione illa cognosci Christum esse unigenitum Dei Filium: esse ab omnibus adorandum: esse creatorem mundi. At, qui Deo non est æqualis, sed ei inferior rat, essentia & operationum, non est Deus, non est adorandus, non potest esse creator mundi. Taceo 4. quod hæc Photinianismum sapient, & Socinianis armis ministrent: de quo vid. D. Feurb. Fast. 4. diss. 3. tb. 40.

V. An sedere ad dexteram Dei sit subsistere in persona  
qua sedet?

§. 1. Jesuitæ, ut & Calvin. quidam recentiores, cum viderent ha-  
cenus consideratas contribulium suorum opiniones justi durio-  
res esse, & seiphas evertere, molliorem quandam, & qs. novam exco-  
gitarunt expositionem, in qua verbis orthodoxis errorem tegere  
aggressi sunt. Hinc reperias in Scriptis ipsorum hæc verba: Sessionem Christi ad dexteram significare æqualem cum Deo Patre gloria gau-  
dere: (ita Maldon. in c. 6. Mar. f. 183.) præesse rebus omnibus qs. sum-  
mum Regem ac judicem: (ita Corn. à Lap. in Colos. 3, 2.) potentiam  
& majestatem divinam, humanitati Christi datam: (ita Bellar. l. 3 de  
Chr. c. 15.) summum honorem, & autoritatem à Patre collatam,  
quæ in universas creatureas in celo & in terra gloriosum exercet imper-  
ium: (ita Wendel. Theol. Christ. p. 302. & Calvin. l. ii.) Quæ verba,  
etsi speciosa & orthodoxa primo intuitu videntur, tamen sicutum il-  
lis contineri, quo absurditatem occultare, & simplicioribus im-  
ponere machinantur, patet ex tripla ad quam recurrent distinctione,  
inter humanitatem in se, & insupposito consideratau: quam Ponti-  
ficiorum Coryphaeus Bellar. l. 3. de Ch. c. 15. his proponit & illustrat  
verbis: Data est humanitati Christi sessio ad dexteram, non in se, sed  
in supposito: non enim factum est, ut humanitas in seipso sedeat ad  
dextram Dei, sed ut sit humanitas illius personæ qua sedet ad dexteram  
Dei &c. & apposita est similitudo de purpura Regis, cum enim Rex in-  
duit purpura & sedet in solio, evabit purpura ad illud solium, non sic,  
ut purpura dicatur sedere aut regnare, sed ut dicatur vestu sedentis aut  
regnantis. Hæcille. Eandem vero & Calvinian. mentem esse, du-  
bium non est, cum non tantum frequenter hic utantur distinctione  
inter naturam & personam: Sed Rivet. comm. in Ps. Proph. p. 436.  
& 439. expressè modo dictam distinctionem inter humanitatem in se

E.

Q. in

**G**in abstracto consideratam approbet, eosq; qui sic distinguunt orthodoxos aliquoties appellat.

**S.** 2. Verum, et si quidem distinctio haec sano sensu accepta, usus suo non careat, hic tamecum  $\alpha\pi\gamma\sigma\delta\iota\omega\sigma\tau\sigma$  & planè ineptè applicata est: Nam 1. Sessio haec  $\lambda\omega\varphi\alpha\omega\mu\kappa\mu$  planè non competit, nisi quæst. seq. 6 pluribus videbimus. 2. Contradicit Spiritui S. qui per Apostolos in scriptura & symbolo Apostolico testatur, Christum, demum post terminatam  $\kappa\epsilon\nu\omega\sigma\tau\mu$ , & inchoatam jam per resurrectionem & ascensionem  $\bar{\nu}\pi\epsilon\bar{\rho}\bar{\mu}\bar{\psi}\omega\sigma\tau\mu$  ad dexteram Patris sedisse: At, si ex mente, adversariorum sedere ad dextram est subsistere in infinita  $\lambda\omega\varphi$  ad dexteram Dei sedentis hypostasi, Christus homo sedet ad dexteram Dei etiam conceptionis, nativitatis, passionis & mortis tempore: Subsistens enim in persona  $\lambda\omega\varphi$  data est humanitati (falentibus ipsis adversaris) in ipso unionis momento. Atqui falsum hoc, E. & illud.

**S.** 3. Occurrere quidem objectioni huic Bellar. d.l. conatur tali responso: Tamen si quidem hoc factum sit in ipsa incarnatione, tamen dicitur Christus sedisse à dextris Dei post ascensionem: quia tunc primum perfectè innovuit gloria hujus hominis, ut dicitur Phil. 2. At vero inane hoc est effugium Jesuitæ, ut & quorundam Calvinianorum. Sadeeliū imprimis de verit. Hum. C nat. p. 190. Nam 1. Tò innotescere, seu notitia & patefactio requirit rei innotescendæ vel patefaciendæ existentiam: si igitur per ascensionem sessio Christi ad dexteram innovuit vel patefacta est, sessio illa jam ante ascensionem fuit, seu, Christus reipsâ ante ascensionem sedet ad dexteram Dei. Contrarium autem tora Scriptura S. & P. ipse in allegato à Bellar. loco Phil. 2. expressè assertit, quando dicit, quod Deus Christus, postquam obediens ad mortem crucis factus fuerat, exaltavit.  $\bar{\nu}\pi\epsilon\bar{\rho}\bar{\mu}\bar{\psi}\omega\sigma\tau\mu$ , non  $\bar{\nu}\pi\epsilon\bar{\rho}\bar{\mu}\bar{\psi}\omega\sigma\tau\mu \bar{\epsilon}\bar{\varphi}\alpha\bar{\nu}\bar{\epsilon}\bar{\rho}\bar{\mu}\bar{\omega}\sigma\tau\mu$ . 2. Sequeretur Christum magis uno quam alio tempore ad dextram Dei sedere: adeoq; sessionem illam admittere intensionem & remissionem; cum  $\bar{\varphi}\alpha\bar{\nu}\bar{\epsilon}\bar{\rho}\bar{\mu}\bar{\omega}\sigma\tau\mu$  ista mutabilis & variabilis sit. Sequeretur 3. Christum nondum ad dextram Dei Patris sedere; sed, in ultimo die, tanum sessionem illam incepturnum esse, quippe in quo erit  $\bar{\epsilon}\bar{\pi}\bar{\varphi}\bar{\alpha}\bar{\nu}\bar{\epsilon}\bar{\iota}\bar{\alpha}\bar{\bar{\epsilon}}\bar{\varphi}\bar{\alpha}\bar{\nu}\bar{\epsilon}\bar{\rho}\bar{\mu}\bar{\omega}\sigma\tau\mu$   $\tau\bar{\bar{\epsilon}}\bar{\varphi}\bar{\alpha}\bar{\nu}\bar{\epsilon}\bar{\iota}\bar{\alpha}\bar{\bar{\epsilon}}\bar{\varphi}\bar{\alpha}\bar{\nu}\bar{\epsilon}\bar{\rho}\bar{\mu}\bar{\omega}\sigma\tau\mu$ ,  $\bar{\nu}\bar{\pi}\bar{\bar{\epsilon}}\bar{\varphi}\bar{\alpha}\bar{\nu}\bar{\epsilon}\bar{\iota}\bar{\alpha}\bar{\bar{\epsilon}}\bar{\varphi}\bar{\alpha}\bar{\nu}\bar{\epsilon}\bar{\rho}\bar{\mu}\bar{\omega}\sigma\tau\mu$ .

**¶** ημῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ Tit. 2, 13 Absurdum hoc: E. & illud.

**S. 4. Si-**

§. 4. Simile Bellarmini à purpura Regū, dissimile prorsus est, falsum & Nestorianum. Humana enim natura ad λόγων se non habet ut purpura ad Regem, sed differentia inter utramq; maxima est: Nam 1. inter λέγον & assumptam carnem est vera, intima ac realis unio: inter purpuram vero & Regem externa tantum ~~ταυτότητα~~. 2. Illa personalis est: hæc accidentalis. 3. Illa inseparabilis & interna: hæc separabilis & externa: Illa ad hypostasin λόγου hypostaticè pertinet: hæc minimè. Et quæ alia diversitatis capita plurima dari possunt. De quibus vid. B.D. Gerh. Exeg. T. I. p. 1275. D. Fevriborn. Fast. I. disp. 3. th. 78.

VII. Secundum quam naturam Christus sedeat ad dexteram Dei Patris?

§. 1. Inter controversias, quæ nobis cum Pontificiū & Calvinis eius circa hunc articulum intercedunt, primaria, & in qua (falentibus Adversariis ipsis) difficultas pœnè tota residet, hæc est: quam cum nostri Theologi passim tractarint, nos hic primaria saltem fundamenta, eaq; præcipue, quæ Aphorismi & Psalmi nostri circumstantiae, pro thesi nostra confirmanda, & adversariorum antithesi destruenda, suppeditabunt, breviter proponemus.

§. 2. Ante omnia vero de controversie statu legitimè formando solliciti sumus: non enim quæritur, *an natura humana divisa & separata, exclusa divina, & sic extra unionem considerata sedeat ad dexteram Dei?* quam quidem sententiam Adversarii nobis affingunt: Sed, quemadmodum Scriptura Sessionem hanc, (ut & omnia quæ de Christo post incarnationem dicuntur) de tota persona enunciatur, sic & nos cum eadem libenter hæc de re ita loquimur, & Christum θεονθρόνοι ad dexteram Dei Patris sedere, verè credimus & constemur. Quia verò Christus duabus constat naturis, in unam personam ἀδιαιρέτως, ἀδιασπάστως καὶ ἀονυχίτως unitis, ulterius, præviā eādem Job. 5,27. Rom. 1,3.6. 9,5.1. Pet. 3,18. c. 4,1. &c. inquirendum omnino est, secundum quam naturam hæc ipsi Sessione tribuenda sit; vel, quæ sit illa natura, quæ tantæ gloria & majestatis divine a: infinitè in tempore consors facta sit? Atq; hic verus sensus est presentis questionis, & hæc rat. in controversiam inter nos & Calvinianos venit. Qui etsi à nobis hic dissident, nec tamen inter se con-

veniunt, sed diversas alunt opiniones: *Quidam enim tribuunt Christo secundum utramq; naturam hanc ad Patrem dextram sessionem, eamq; duplificem fingunt: unam, quæ hum. naturæ competat, finitam ac inferiorem: alteram, qua divinæ, infinitam ac superiorem.* Ita Polan. T. 2. Syntag: c. 26. Sohn. in Exeg. A. c. 279. & 282. Kekerm. Syst. Tb. p. 364. Alij ad Personam solum eam referendam esse volunt, non ad hanc vel illam naturam: quod tamen non sufficit. *Quicquid enim de persona dicitur, id ei competit secundum alterutram naturam: eiq; in analysi tribuendum est, cum persona nihil aliud sit quam illæ ipsæ naturæ unitæ, & non tertium quoddam à naturis distinctum;* uti Dn. Schröd. par. 4 Thron. Reg. c. 1. id è Scripturæ exemplis evincit. Calvinianus hic per omnia assentiuntur Jesuitæ, uti ex iorum scriptis constat, imprimis Bellar. l. 3. de C. cap. 15.

S. 3. Nostræ contrâ thesis est, sessionem hanc ad dexteram Patris competere persona Christi secundum humanam naturam, idq; non per se, sed ratione & beneficio unionis. Hujus nostræ assertionis veritatem & evidentiam seqq; duobus argumentis comprobabimus, unde simul sententiae Adversariorum absurditas patescet. Prius generale tale erit: Secundum quam natutam. 1. Christo gloria, maiestas, potentia, aliaq; dona divina & infinita dari potuerunt: 2. Ille eadem à Patre supplex poposcit; & 3. In tempore ad sui Perfectionem & sublimitatem ex gratiâ accepit: juxta quam 4. est Filius hominū, profundissime exinanitus, passus, mortuus, resuscitatus, & ad dexteram Domini in cœlum profectus; juxta illam sedet ad dextram Dei: Atqui, non juxta divinam, sed humanam naturam hæc de Christo vera sunt. E. Majoris connexionem & consequentiam, quoad singula membra ex seqq; rationibus & SS. literarum testimoniis demonstramus: Primum ex eo patet, quod dextera Dei, nil nisi gloriam, virtutem, potestatem & maiestatem divinam: & sessio ad eandem, participationem & exercitium illius gloriae &c. denotet; uti supra Sect. I. §. 13. 15. 16. Et Sect. hujus quest. I. seqq; evicimus. Secundum membra funda mentura habetur Joh. 17,5. ubi Christus instantे jam passionis & mortis horâ sui glorificationem à Patre petit. Petere autem illum gloriam non finitam sed infinitam maximè, universale nempè & plenarium omnium rerum dominium, in exaltatione ad dexteram ipsi datum patet cum ex textus circumstantiis: vers. 2 enī m petit, glorificari se juxta datam sibi potestatem omnium carnis. Qualis igitur est potestas omnis

omnisciarnis Christo data, talis etiam & gloria quam hic petit. At qui potestas illa non est finita, sed infinita. E. Deinde vers. hoc s. cupit glorificari gloriam, quam habuit apud Patrem priusquam mundus fieret. At gloria illa non fuit finita, sed infinita, increata, vereq; divina. E. tum ex aliis scriptura locis, quæ per exaltationem ad dexteram Christum quam maximè glorificatum esse, expressæ testantur. Joh. 7,39. Act. 2, 33. c. 3, 13. Eph. 1, 20. seqq. Tertium fluit ex Eph. 1, 20. seqq. & Phil. 2, 9, 10. Quarti consequentiam confirmant ordine, prater seriem articulorum in symbolo Apostolico aperta hæc Scripturæ loca: Marth. 26, 64. Phil. 2, 9. Act. 5, 30. 1. Pet. 3, 22. His præsuppositis, firmissimâ consequentiâ colligere licet, quod juxta quam nat. Christo ejusmodi gloria dari potuit, & ipse etiâ illam petuit, ac impetravit, juxta eandem quoq; gloriæ & potentiam illam possideat & exerceat: nisi dicere velimus, humanam naturam divinæ aliquid impetrasse, quod absurdum. Minor suâ luce abundat, cum enumerata attributa ita sint comparata, ut divinæ naturæ, vel Deitati, (quæ ipsa perfectio & omnisufficiencia immutabilis est, & ab æterno fuit) nullâ ratione; sed tantum humanitati tribui & competere possint.

§. 4. Argumento huic generali, subjungimus alterum qs. spēciale ex Aphorismi nostri, & seqq. hujus Psalmi circumstantiis h. m. deducendum: juxta illam naturam Christum sedet ad dexteram D E I, juxta quam 1. ex decreto, promissione & imperio diuino ad sessionem illam in tempore pervenit. 2. essentialiter ab ipso Dei dexter a differe. 3. hostes pro scabello pedum subjectos habet: 4. de torrente in via bibit, & proptereacaput extulit. Atqui hæc omnia similiter Christo, non juxta divinam sed humanam naturam competunt. E. Singulorum membrorum Majoris consequentia ex Psalmi nostri circumstantiis haud difficulter probari potest: Primum fluit ex voce LXX, quam divinum decretum, promissionem, ejusq; in tempore executionem h. l. denotare ac involvere, ssp. Sect. 1. §. 3. ut & alloquo ipso, quod fit per modum imperantem & præcipientem. Quo modo igitur Deus Pater Filium suum sedere voluit & jussit, eo modo sedet. Atque per modum decreti, promissionis, ejusq; executionis voluit & jussit. E. Secundum similiter constat ex supra Sect. 1. §. 4. 15. & Sect. hujus q. 1. seqq. ubi ex solidis scripturae testimoniis, Psalmiq; nostri circumstantiis evicimus, per dextram Dei in Scriptura intelligi ipsam

Dei virtutem, & potentiam: quæ, ut cætera attributa, à Deo essentialiter non differunt, sed cum eâ simplicissime unum sunt, & converuntur. Necessariò igitur Christus secundum eam naturam ad dextram Dei sedere dicendus est, secundum quam non est unum cum eadem: alias enim ad seipsum esset collocatus, & in seipso consideret, quod absurdum: At juxta div. nat. est unum cum Dei dextra, virtus np. & potentia Dei, I. Cor. 1, 24. E. Tertium ipsum sessionis hujus effectum exprimit: Juxta quam igitur nat. Christo effectus hic competit, juxta eandem & ejus causa tribuenda ipsi est. At ille competit Christo juxta humanam: quia in tempore facta, & quidem juxta illam naturam, juxta quam à Deo derelictus, gloriæ & honore coronatus est Psal. 8, 5. E. conf. Feurbor. Fast. 4. p. 174. Quartum fluit ex vers. ult. cuius consequentiam hæc collectione probo: Secundum quam naturam Christus de torrente in via bibit, i.e. exinanitus, passus & mortuus est, juxta eandem caput extulit, seu exaltatus est. Rat. Exinanitio enim & exaltatio sunt opposita: opposita autem idem subjectum requirunt, circa quod versantur. At Christus juxta humanam naturam est exinanitus, passus & mortuus: tenui patet. E. Ulterius. Secundum quam nat. Christus caput extulit, seu exaltatus est, secundum eam sedet ad dextram Dei. Atqui secundum humanam naturam caput extulit. E. Rat. Majoris: quia Scriptura nou agnoscit aliam Christi exaltationem, quam ipsam ejus ad dexteram sessionem; ut videtur est Act. 2, 33. c. 5, 31. &c. Minore ex priori collectione constat: exaltatio enim presupponit humilationem, quæ humanitatis est, non deitatis. Hæc de consequentia Majoris superioris syllogismi principalis. Minor probatione prolixè non indiget, cum quilibet videat Christum juxta divinam naturam, i. Divino imperio non subesse, nec ex promissione aliquid in tempore ad maiorem sui gloriam accepisse (alias enim Patri non esset æqualis.) 2. essentialiter unum esse cum Dei dextra. I. Cor. 1, 24. 3. & quartum ex illis, quæ pro majoris consequentia hactenus dicta sunt, patent, Sua igitur conclusioni immota constat veritas, Christum non juxta divinam, sed humanam naturam ad dexteram Dei sedere. Quod erat demonstrandum.

S. 5. Et hæc, pro instituti nostri ratione, sufficient de hac quæstione: in qua & hanc Sectionem finimus. Addi quidem plures quæstiones possent; videlicet de Mortitate & eminentia filii supra Partem:

trem: quam Maldonat. in b. Ps per sessionem ad dexteram Patris Christo, collata esse, prætendit: ut & Sessionis hujus termino à quo  
ad quem: sed cum pleraq; quæ istuc faciunt, ex hactenus dictis peti quodammodo possint, ne disputationis leges & limites exceedam, cœptam telam hic abrumpere cogor. Quæstionem autem de Christi omnipräsenzia, quæ in præseuti hoc articulo firmissimè fundata est, cum tuâ dignitate ac ubertate pròlixior & accuratiorem mereatur tractationem, quæm quæ unâ alterâ pagellâ complecti queat, consultò hic omitto, alii eandem, cum D EO, occasione reservaturus.

#### SECTIO IV.

##### *Praxin & salutarem usum delineans.*

Est equidem Aphorismi hujus nostri, & articuli, quem continet, de Sessione J.C. ad dexteram Patris, usu longè maximus & uberrimus, proponitq; nobis quintuplicem illum fructum, quem Apostolus in omni Scriptura *Θεοπνέυστῳ* continerit. *Tim. 3,16. & Rom. 15, 4* asserit: quem saluberrimum fructum & nos hic decerpere, & prolixâ tractatione perfruendum exhibere possemus. Quia vero hæc res ad Ecclesiasticam potius, quam Academicam Cathedam spectat; & præterea pagellæ jam præter opinionē excreverint, breves hic ubiq; ducemus lineas, & digito qs. summa in singulis usibus capita designabimus, non tractabimus. Utilis igitur est.

I. Πρὸς διδασκαλίαν. Informat enim nos de sublimitate, ac infinitâ gloriâ Domini ac Salvatoris nostri J. C. adeoq; verâ & eternâ ejus Dertate, ad quam in animis nostris confirmandam, certum & invictum, inter alia, hac ipius ad Dei Patris dexteram sessio, argumentum nobis suppeditat. Nam eti quidem juxta solam humanitatem ad dexteram Dei fuerit collocatus: (uti Sect. 3. q. ult demonstratum est) ea tamen sessio humanitati obtingere non potuisse, nisi ipsa cum Deitate vere unita; atq; adeo Christus non solum homo, sed & Deus vere fuisset: cum divina majestatis ac potentiae nihil capax esse possit, nisi verus & essentialis Deus, aut vere cum ipso in unam hypostasin sit unitum. *Conf. sect. 1. § 10.11.13.15. & Sect. 3. q. 2. § 2.3 q. 4. § 2.*

II. Πρὸς ἔλεγχον & redargutionem omnium eorum qui hunc fidei Christianæ articulū vel apertis blasphemū, ut olim *samosatianū*,

*niani, Servetiani & Arriani, vel corruptelis commentis Sophisticis,  
ut hodiè Neo Arriani seu Sociniani, Calviniani & Pontificis, conve-  
lunt & debilitant. Ab his & detestatione cordis & confessione oris  
nos se jungamus.*

III. Περὶ ἐπανόρθωσιν. Dehortatur enim nos à securitate, & pec-  
candi τέχνῃσιν: Erubescimus in conspectu hominum turpiter a-  
gere, aut minus decentia designare, nec id immerito: quanto magis  
igitur vitare debemus peccata, qui cuncta agimus in conspectu ju-  
dicis, in dextera & throno Dei Patris sedentis, & præsentissime o-  
mnia, cordis etiam occulta intuentis? quippe cuius oculis omnia  
sunt γνῶντα καὶ προαγόμενα Ebr. 4, 13.

IV. Περὶ παιδείας. Quia enim locus hic summam gloriam &  
majestatem Salvatoris nostri concernit, invitamus, ut illam scrute-  
mur, cognoscamus, & pro virili modis omnibus defendamus.

V. Περὶ τρόπων. 1. In cruce & calamitatibus, quibus in-  
hac vita expositi sumus: ne pressi iisdem animum abijciamus & op-  
primamur, sed Christum nostram carnem nostrum sanguinem ad  
dexteram Dei consideremus: deq; ejus auxilio & potenti defensionem per-  
fidem certi, contra Satanæ tremitus, inferni ruetus, mundi insulta-  
tiones, gaudeamus & exultemus. 2. In temptationibus propter  
peccatorum & iræ Dei gravitatem: Ne ibi animum plenè despon-  
deamus & desperemus, Christus caro nostra, sanguis noster in dex-  
tra Dei sedens solatio nobis est: is nobis cum fiducia ad thronum  
gratia accidentibus, misericordiam offert Ebr. 4, 16. Propterea enim  
Princeps & Salvator noster ad Dei dextram exaltatus est, ut pœni-  
tentiam & remissionem peccatorum daret, Act. 5, 31. 3. Contra  
mortis terrorem. Ne moribundi terreatur mortis acerbitate, earn-  
que reformidemus, sed lati eam expectemus & obeamus, cogitan-  
tes, Christum nostram carnem nostrum sanguinem, prius detorren-  
te mortis bibisse, antequam caput ad Dei dexteram exaltarit. Nobis  
igitur similiter in via hujusærum nosæ vitæ de torrente mortis biben-  
dum antequam cœlo caput exere possumus: Hic pugnandum, &  
per mortem vincendum: Sic Christus dabit nobis sedere secum in  
throno suo Ap. 3, 21. Huic Victori, Regi ac defensori nostro J.C. se-  
denti in throno, agno immaculato cum Patre & Spiritu S. sit  
honor & gloria in infinitas seculorum myriades!

\*\*\*\*\*



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn737814659/phys\\_0043](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737814659/phys_0043)

DFG



trem: quam Maldonat. in b. Ps per sessionem Christo, collatam esse, prætendit: ut & Sessionis l. ad quem: sed cum pleraq; quæ isthuc faciunt, peti quodammodo possint, ne disputationis ledam, cœptam telam hic abrumpere cogor. Quæ Christi omni præsentia, quæ in præseuti hoc a fundata est, cum suâ dignitate ac ubertate præliationem mereatur tractationem, quæm quæ un complecti queat, consultò hic omitto, alii eandem reservaturus.

#### SECTIO IV.

##### *Praxin & salutarem usum delin-*

Est equidem Aphorismi hujus nostri, & articuli, Sessione J.C. ad dexteram Patris, usu longè maxi proponitq; nobis quintuplicem illum fructum, q; omni Scriptura Thesauri contineret. Tim 3,16. rit: quem saluberrimum fructum & nos hic de tractatione perfruendum exhibere possemus. Quæ Ecclesiasticam potius, quæm Academicam Cath. præterea pagellæ jam præter opinionē excreverimus lineas, & digito qs. summa in singulis u gnabimus, non tractabimus. Utilis igitur est.

I. Περὶ διδασκαλίας. Informat enim nos de finitā gloriā Domini ac Salvatoris nostri J. C. adeo ejus Dertate, ad quam in animis nostris confirmata invictum, inter alia, hæc ipsius ad Dei Patris dextermenitum nobis suppeditat. Nam eti quidem juxtam ad dexteram Dei fuerit collocatus: (uti Sect. stratum est) ea tamen sessio humanitati obtingere si ipsa cum Deitate verè unita; atq; adeo Christus nō, sed & Deus verè fuisse: cum divina majestatis capax esse possit, nisi verus & essentialis Deus, aut in unam hypostasin sit unitum. Conf. sect. 1. § 10. II.

2. § 2. 3. q. 4. §. 2.  
II. Περὶ εἰλεγχοῦ & redargutionem omnium c fiduci Christianæ articulū vel apertis blasphemis, ut



the scale towards document